


6
10-e
13



Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-10, e, 13
22-e-19





Adm. R. P. Mag.ri

ANGELI MARIÆ CIRIÆ PANVIN.

CREMONENSIS

Ordinis Seruorum Proc. Gen.

ORATIONES XXII

Eminentiss.mo ac Reu.mo Principi

IVLIO CARD. SACCHETTO

Dicatæ

Con licenza de' Superiori

Romæ apud Dominicum Manelphium 1652

Superiorum consensu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

F. ANGELI MARIAE CIRIAE PANVINII

DE CREMONA



Totius Ordinis Seruorum B.M.V. in Romana Curia Procuratoris Generalis,

Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Qualificatoris, Sacræ Congregat. Indicis Consult. ac Patriæ Vrbis Theologi.



ORATIONES XXII.

Ad Sanctissimos

VRBANVM VIII. ET INNOCENTIVM X.

In Sacello Pontificio diebus suo Ordini à Sancta Sede assignatis

Habitæ,



Atque Eminentiss. Principi S.R.E. Card.

SACCHETTO

Eiusdem Ordinis Protectori Munifico, suique Benefactori præcipuo

DEDICATÆ.





ROMAE, Ex Typographia Dominici Manelphij. 1652.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

IVLIO S.R.E. CARD.

SACCHETTO

RELIGIONIS SERVORVM B.M.V.

Protectori Benignissimo.



FR. ANGELVS MARIA PANVINIVS de Cremona. P.F.P.



CCE redeo, Eminentiss. Princeps, *&* *Oratiunculas illas, quas omnes tua dixi excitatus præsentia in Pontificio Sacello, dum hoc opusculo cogentibus animis publicæ considerationi propono, tuæ etiam humanitati protegendas committo. Quem enim dicentem grauissimis auribus honorasti; scribentem non poteris tutamine benignissimo nō fouere. Non ergò obseruantiæ titulo, sed necessitatis consilio (& audaci forsan) hoc tibi opusculum dirigo. Licèt*

enim

Digitized by Google

enim reuereri Principis faciem deberem, subditus degener, ea omni arte, qua possem, simulquè timere, nè Tibi, Religioni, & Vbi me fabulam darē; Elegisse te tamen opus ipsum scias abortiuæ eius naturæ curatorem, memor & Deum ipsum à nobis non exigere fructus, nisi pro talentis, quę ipse concessit, nec ab Ansere Lucinię modulos, nec ab vllula Ascredulę expectare concentus. Soles & tu Religionem Seruorum ex eius tenuitate, non ex tui dignitate metiri. Attende ergò, & modò; nisi quod debeo, saltem quod possum, subditoquè humillimo, & per ęternitatem deuicto benè apprecare. Vale.



IV-

IVLIO SACCHETTO
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ
Cardinali Eminentissimo.

Qui
Et morum, & mentis virtute cæteris præstans
Omnibus inter Heroes
Dinumerari meretur.
Hac vna
Animum sic ornauit, sic informauit,
Quòd suprà cōmunē hominū cōditionē euectus,
Supra se ipsum etiam extollitur.
Consuetū mortaliū terminum adeò ista percellit,
Quòd in omnibus imitationem gignit,
Aemulationem excludit:
Et
Vulgari si deferendum sententiæ, veram
Nobilitatem in genere collocanti,
En
Liliata gaudet Ciuitas
Sachettici generis illustrata splendore.
Modò
Crescit nigredine candor,
Sacchettici Stemmatis
In albescenti nigredine, lilia,
Dum nobilitate lustrantur,
Hic
Genus, & Auos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra sciens,
Educationibus, studijs, inclinationibus,
Conspicuis, assiduis, regijs,
Veræ nobilitatis exemplar
Apertè conspicitur

In

In Iraſcibili
Eminens, Ardens,
Ad egregia,ſtrenuaq; facinora ſibi viam aptauit.
Tu Tu Tu
Hiſpania, Felſina, Ferraria,
Eià canite, celebrate virum egregium
In opere; quem vidiſtis
Concupiſcibilem
Anthitei genitam voluntate cohibuit,
Appetitus feruorem,
Imperio Principe moderauit,
Adeò quòd nihil vnquam quin iuſtum,
Nihil quod non honeſtum appetijt:
Tu feruorum Religio,
Iuſtitiam, honeſtatem, pietatem
Prudentiam tui Principis, quam experiris
Protendere pergito
Iſte
Purpuratorum Principũ cœtui datus in fratrem,
A quo Eminentiam cum Purpura,
Ab eodem cum APE delibauit dulcedimem.
Mirùm,
Cum Purpura terret,
Cum dulcedine allicit,
PASTORIS OLIM MAXIMI
Ritum ſequutus,
Qui
Poteſtate perterruit,
VRBANITATE traxit.

IN

IN

ANGELI MARIÆ CIRIÆ PANVINII

Ordinis Seruorum Generalis Procuratoris.

ORATIONES

In Pontificio Sacello coràm Sacro Collegio habitas.

ELOGIVM.

Adeste huc, properate Camenæ, heliconias deserite sedes
Angelia ingenij ingenuos fructus, fœcundi Maris gemmas facundas
Colligite, degustate.
Mirifica Apollinei luminis præclaris hisce in characteribus preconia
Inspectate
Hic
Eloquentiæ nitor nitidiori velut in speculo se ipsum componens
Splendidiori coruscat luce.
Hic
Demosthenes, Eschines, Tullius, Liuius
Cineres iàm effecti
Ad vitam reuocati comperiuntur.
Mors eorum vilida Viuificis Panuinij in atramentis conspicitur,
Dùm eorundem fandi stylus, scribendi norma
Tàm fœliciter hinc resultat.
Sistit hic complicatis alis fama,
Et quem apud Sanctissimum dicentem olim admirata est,
In præsentiarum veneratur.
Summi aures Pontificis intentas expertus;
Sacrorum ora Purpuratorum silentia conspicatus,
Semper lætus, ouans semper
Laudis trophæa reportauit è suggestu;

Romuleæ perorantem plausibus concelebrarunt gentes,
Exteræ ad sydera nationes extulere
Omnes ipsiusmet triumphis, nulli vnquàm tradendis obliuioni
Personuerunt viæ.
Tantarum autèm CIRIAE lucubrationum
mellitis CERIS scatentium
Quò magis fulgeat dignitas

IVLIO SACCHETTO
Cardinalitij cœtus iubari fulgentissimo,
Viro cunctis numeris absoluto,
Spectantissimo omnigenæ scientiæ Asylo,
Studiosorum Mecœnati augustissimo,
Cuius
In Vrbe Valor
In Orbe Decor
In æuum manebunt,
Dicantur.

F. P. Salu. S. F.

Adm. Reu. P. Mag.
ANGELO MARIAE CYRIAE
EPIGRAMMA.

TAnta in Carneadis visa est facundia dictis,
Vt quæ vera forent, redderet ambigua
At Vaticana resonat dum Cyria in Aula
Circumfusa Cohors nil, nisi vera probat.
Cedat Carneades noctem, tenebrasq; sequutus,
Cyria lucentis munera solis agit.

Fr. Michael Angelus Gosius.

Ad

Ad Eumdem.

EPIGRAMMA.

Alludit ad eius nomen.

MIraris Lector si tanta est copia fandi
Si eloquij tantum fundit ab ore melos?
Nil tibi ingenij mirum si flumina fundit,
ANGELVM enim hoc ipsũ nunciat esse virũ.
Nomen, & omen habet MARE sit, sit Cynthius ergò
Fluminis eloquio, luminis ingenio.

ANGELVS MARIA CYRIA
Cremonensis Orator

ANAGRAMMA.

An Ciceronis similis? en Romæ gratus orat.

Fr. Ioseph Maria Francischij de Imola in Prouincia Romaniolæ Prioris Prouinc.



Ad eumdem Orationes.

EMINENTISSIMO SACCHETTO
Ordinis Protectori vindicantem.

EPIGRAMMA.

NAscentis gloriam numinis, passuriq; saxa,
Mortis, & Vitæ, Præsidi, Iure donas;
Indicant hoc albo, nigroq; in stemmate color
Principis ingenui, Principis innocui;
Nulla dies Alba adueniet : Nox nigraq; nulla,
In qua non viuant scripta perennè tua;
Nam qui saxa liber profert, Diademaq; Christi,
Hunc longæuus honos; feraq; fama manet.

Mag. Alexander Marianus Lucensis D.

Ad Eumdem

Patronum suum munificentissimum.

Fr. Ludouicus Iustinianus in Conuentu S. Marcelli de Vrbe Studij Regens D.

EPIGRAMMA.

VIues post cineres nullo delebilis æuo,
Nec fama lætheis fama peribit aquis;
Nec tibi Pyramides quærendæ, aut marmora: fatũ
Hæc domat, & rapidi temporis ira rapit.
Linguæ sola tuæ monumenta æterna loquentur
Muta tibi viuo in marmore lingua foret.

In eiusdem Auctoris Orationes.

EPIGRAMMA.

Dicite Purpureæ fideiquè, orbisquè columnæ,
Quiquè regis Petri munera, sancte Pater.
Diuus, an humanus Ciriæ facundia sermo est!
Angelus est; quid nam tale locutus homo est!
Muta silet Liui sapientia, Tullius errat;
Quot Romæ eloquio personuere, iacent.
Angelus vnus habet, quod Græcia, Roma, quod omne
Os sublime loquens, Angelus vnus habet.
Quid mirum? Sacchette viris Sol vnice doctis
Hic tenet in radios lumina fixa tuos.

Christ. Dalt.



AD

AD EMINENTISSIMVM

IVLIVM SACCHETTVM

Pro Libello Orationum ſibi dicato

*Ab Adm. R.P. Mag. Angelo Maria Cyria Pan-
uinio Cremonenſi Oratore, &c.*

IVLIA ſi Veſtis Populos iàm traxit in iras :
Excitat eloquia hæc PVRPVRA ſacra tui.
Troiades in latium ſpecies tulit vnica IVLI ?
HÆC TVA ſic luci Cyria ſcripta defert.
IVLORVM illa fuere. Eſt hic tuus ergò libellus
Qui per TE IVLI natus, & altus abit.

Ad Libellum

INuia cur metuis noſtri liber ire per Orbis ?
Fama tui compos conticuiſſe nequit.
Nil timeas; pergas; manet en Te Gloria. Pergas.
Non muſſat Momus Zoila turba fugit.
Scilicèt Angelico, qui exis munimine comptus,
Cui igneus eſt Ductor, IVLIVS enſis erit.

De Libello Omen.

Dialogiſmus.

Zoilus

Viuent ſcripta diù hæc ? ſunt ipſis Mamora
Murmur.

Momus

Si Marmor MVRMVR, VITA PERENNIS erit.

*Fr. Alamanus de Laurentijs Bonon. in
licæo Peruſ. St. Magiſter.*

Al

Al molto Reu. Padre Maeſtro

IL P. M. ANGIOL MARIA CIRIA

PANVINI

Orator facondiſſimo nella Capella Pontificia.

SONETTO:

SAcr'Orator, che da l'eccelſe Rote,
Lo cui vario tenor muſici accenti
Forma, ò che là nel Ciel trà l'alte Menti
Imparaſt' à ridir ſi dolci note.

Si come lo tuo ſtil già viuo pote
Quale di GIOSVE, le Rote ardenti
Del Sol di Vatican' obbedienti
Fermarn' à Detti tuoi ſtabil'immote.

Hor anco pur ne le tue Cart'inciſo
(Da la tua lingu'ancorche lungi viua)
Non hà l'vſo primier da ſe diuiſo.

Così Teſchio fatal, che viuo ardiua
Le ment' iſtupidir, dopò reciſo
Con ſucceſſo ſimil iſtupidiua.

Dell'iſteſſo.




IN

Digitized by Google



IN FESTO
EPIPHANIAE
MDCXLII.





IES iſte, B.P. quo primum gentibus Saluator Mundi Chriſtus apparuit, meritò ſacro honore celebratur; illa ſiquidèm hodie cordibus noſtris concipienda ſunt gaudia, quæ in trium Regum fuere pectoribus, quando Cæli Regem, ac Terræ, ſigno, & noui ſyderis ductu incitati, quem crediderant promiſſum, adorauere conſpicuum. Nequè enim ità ille emenſus eſt dies, vt virtus operis, quæ tunc eſt reuelata, tranſierit, nihilque ad nos, niſi rei geſtæ fama peruenerit, quam fides ſuſciperet, & celebraret memoria, cum multiplicato munere Dei, etiam quotidiè noſtra experiantur tempora quidquid illa habuere primordia. Meritò ergo Cæli enarrant gloriam Dei, & opera

manuum eius annunciat firmamentum: quoniàm stella non volens, sed iussa; non Cæli nutu, sed diuinitatis in pulsu; non lege syderum, sed nouitate signorum; non Cæli climate, sed virtute nascentis; non ab arte, sed à Deo; superna procuratione, non curiositate Chaldæa; non arte magica, sed Iudaica prophetia illuxit: vndè dum Magi humanas perijsse curas, eorum defecisse artes mundanæ sapientiæ exinanitos labores, fugisse paganam noctem, opinionumque nebulas concidisse cognoscunt, quam nouo radio, signifero lumine, splendore certo radiare conspiciunt; hanc natum Regem, præter mundi legem, præter carnis ordinem, præter humanam monstrare naturam intelligunt: deposito quarè errore, & sequuntur, & currunt & perueniunt, & inueniunt, & gaudent, & procidunt, & adorant. Inuenerunt puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adorauerunt eum. De tanto ergo (vt muneris est) mysterio verba facturus, sapiētis illud de
Argum. nostro Rege proloquium, ex Hebræo meminisse iuuabit. Ego Rosa campi, & lilium conuallium; nedùm quia proprio, non Veneris adhuc Infantulus aspicitur cruore conspersus, tunc cum consumati sunt dies octo, vt circumcideretur Puer; medijs dolorum spinis dignoscitur natus, nobis enim puellus non solum natus, sed datus, cuius principa-
tus

tus in illis ipſis humeris ſitus eſt, in quibus baiulat crucem: præſepio ſeptus videtur, quãdo reclinauit eum Mater in præſepio: ſed etiam, quia magos hodie, licèt Reges, Cælorum tamen Regi, Apes veluti obſeruantes attraxit, cui adorantes in carne Verbum, in infantia ſapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum maieſtatis, Thus Deo, Myrrham homini, Aurum offerunt Regi, ſcilicèt Diuinam, humanamque naturam in vnitate venerantes, quia quod erat in ſubſtantijs proprium, non erat in perſona diuerſum.

Fœliciſſimæ itidem, & promerentes Apes, in quibus VRBANA ſapientia ab omnibus veneratur, floriferam procul ſuauitatem ſentiunt, raptim, celerrimeque currunt, atque ventorum ritum lapideo cum tutamine fugiunt; ſapientia ſiquidem præditi Reges, meritò appellantur Magi, & de ijs maxima cum admiratione fatur Euangeliſta Matthæus, ecce Magi floſculi huius nati in Bethleemitico hortu odorem Deificum ab Oriente percipiunt, hinc ab Oriente venerunt Hieroſolymam, ſummaque cum animi ſtabilitate Herodis vacuarunt inſidias, qui in puerum Ieſum impietatem doli, per ſimulationem diſponebat officij: audiens enim Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Turbatur Herodes, Sathanæ quia Sca-

rabæus, Muſcaque teterrima Chriſtiferæ exeuntis Roſæ aufugit odorem, quam vt de proprio ſtelo violenter euellat, tempus recolens, quo indicauerant Magi, in omnis Bethleem pueros venenum crudelitatis effundit, & cæde generali vniuerſæ Ciuitatis illius in æternam gloriam tranſituram trucidat infantiam, æſtimans fore, vt nullo illic paruulo nõ occiſo occideretur Chriſtus. En (B.P.) ne quid haberet cum Deo commune Rex impius, humanitatem exuit, ſtatim ac illam induit Deus: ita vecors, vt illius ſeruiret gloriæ, cuius inhiaret ruinæ, ne ab vllo tacceretur, quem ignorari voluerat, tot laxauit infantibus ora, quot vulnera: decolorauit purpuram ſuam, qui eam tinxit in ſanguine, & in nouo mari Rubro, Pharao alter eluſus, dũ vnum perdere Regem voluit, multos fecit. Sed perfide cur inuehis, cur turbaris? cicurari forſitan metuis? effrenis ergo bellua, Domini ſtabulum, qui formidas, ſcholam ignoras fortaſſe Regum præſepe fieri, vbi verè regnandi artes docentur? Fœlix nimium qui tanti præceptoris non verba ſolum, ſed & vagitus intelligat. Cur ergo times Herodes, cur quod alieni futurum eſt operis, tui eſſe vis criminis; & non habiturus effectum ſceleris in ſolum te reatum præcipitas volũtatis? Timet iram Romanorum Herodes, timet ſaluti ſuæ, metuit poteſtati: Reges

enim,

enim, Deosque quoscunque, ab eorum non pendentes arbitrio, Romani abiecerant, quod bellè irridens addidit Tertull. humano arbitrio diuinitas pensitatur, nisi homini Deus placuerit, non erit Deus, homo iam Deo propitius esse debebit. Quasi humana lex posset aliquem in Diuinam naturam resculpere, & diuinatem donare mortales. Profectò ridicularia superbia est, quæ præsumit numine, & cœlo hominem donare, quod Valentinus ad Maximianum, sic de Hercule eius Proauo assentatorie mentitus est, inquiens: tuus Hercules Iouem vestrum, quondam terrigenarum bello laborantem, magna victoriæ parte iuuit, probauitque se non magis à Dijs accepisse cœlum, quam reddidisse. superbissimum vero fastum sic obrutescit humana superbia, quod Hercules supponit Ioui restituere Cœlum; quod senatus intentat diuinitatem à suo pendere arbitrio, quod ambit Holofernes (cæteris Dijs exclusis) vnum Nabuchodonosorem diuinitate donare; ex quo Herodes audiens Iudæorum Principem natum, successorem, ac Deum Romanis inuitis suspicatus expauit, & molitus necem salutis Auctori, falsum, tota Hierosolyma commota, spopondit obsequium.

Oh ergo infandum scelus, oh facinus execrandum! inuehit Hierosolyma, animaduertunt scribæ, turbatur, & sæuit in Infantem

He-

Digitized by Google

Herodes; nil dant tempori, nil ætati, nil pauperi: ſed vt audiunt natum, parant naſcenti mortem, innocenti dolos, ſcelus pio nudo gladios, ſoli milites, vagienti necem, & vt vis miſceatur ſanguini, crudelitas acerba cunabulis bella indicit, vbera telis vrget quatenus humanam, diuinamque ſobolem, ante ſepulchrum faciat intrare, quam mundum. Magi vero merito aurum deferunt, incenſum, & myrrham, trinam vt venerentur Roſæ huius præſtantiam, pulchritudinem nempe in auro, odorem in Thure, & virtutem in myrrha, ex quo enim homo factus pulchritudo dignoſcitur, ſpecioſus forma præ filijs hominum, quia homo mortalis curat nos in ſanguine ſuo, liuore ſiquidem eius ſanati ſumus; quia tandem cæleſtis odorem ſuauiſſimum ſpirat diuinitatis, à quo tracti merito REGES IN ODOREM CVRRIMVS, myſticæ Apes proclamant, vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum. Et quid non eius quærit Chryſologus? Stella eius eſt, non ille ſtellæ. Stellam eius, quæ accepit eſſe, ſed non dedit, ſtellam cuius ortum tenebat Auctor, non quæ ortum tenebat Auctoris: ſtellam eius venientem non à Generi, ſed à Genitore, mandato, non fato, non à Computatore, ſed ab Auctore, non quæ daret ortum, ſed quæ ſuſtineret oc-

caſum.

casum. Et bene eius addidit Maximus, quia quamuis omnes ab eodem creatæ ſtellę ipſius ſint, hæc tamen propriè Chriſti erat, quæ eius ſpecialiter nunciabat aduentum. Non ſic reliquę ſtellæ eius dicuntur, quia ſubeunt commune omnium onus, omneſque pariter gloriam Dei, vocali taciturnitate denunciant, nullaque ſpecialem obtinet dignitatem, vel munus, quod aliæ ſtellæ non præſtent. Hæc vero MAGORVM ſtella nobili vocabulo ſtella Dei vocatur, quia non obit commune omnium onus, ſed ſpecialiter Chriſtũ mundo detegit, & annunciat. Quare meritò tanto Duce vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum, Principem natum longinquæ Orientalium gentium nationes, in inſolito noui ſyderis ſplendore didicerant, & ne de loco editi Regis ambigerent, Iudaica eruditio prodijt, quod ſtella non docuit. Faxit Deus, vt qui cum Magis Spiritu ſancto Duce Chriſtum Regem quærimus, & indagamus in terris, ita inueniamus, & fruamur in cœlis.


Dicebam.

Digitized by Google

IN DOMINICA

PASSIONIS

MDCXLII.



DIVINI amoris ſpectaculum, Chriſtiferæ charitatis tropheum, ſupernaturalis dilectionis triumphũ, en mutata facie, Eccleſia commemorat hodie, B. P. Paſſionis enim Dominicum habemus diem, in quo ſicuti Filij Dei in humanitate paſſi, in carne plagati, cruci tandem affixi celebratur memoria, ſic eiuſdẽ in nos amoris, charitatis, & dilectionis panduntur inſignia, dum non pro amicis animã ſuam poſuit, ſed pro inimicis ſanguinem ſuũ ſudit, ex quo maiorem charitatem maiori merito indixit Bernardus, maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; clementiſſimus vero Ieſus maiorem oſtendit, ponens eam etiam pro inimicis, dum enim inimici adhuc eſſemus, per mortẽ eius & ſibi recõciliati ſumus, & Patri quæ nã alia videtur eſſe, vel fuiſſe vel fore huic ſimilis charitati? Licet enim maximum circa hominem diuini amoris inſigne fuerit, quod inter ipſa mundi primordia, ima-

imaginem, ac similitudinem Dei sui seruus acceperit: amplius, quod personam, & formam serui Deus Auctor assumpserit; grandi dignatione primo homini spiraculum vitæ de suo pius formator insuderit, sed penè maiori charitate, quod pro eodem homine, non iam suadederit, sed seipsum; vnde Emissenus; magnum mihi quidem est de eo, quod esse me sentio opus suum, sed multo magis, quod trãsire ipsum video in pretium meum, quandoquidem tam pretioso munere ipsa redemptio agitur, vt homo Deum valere videtur, qui se nascens dedit socium, se viuens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.

O ergo affluens amor Dei, ò indeficiens largitas diuinæ bonitatis, quæ mihi in hoc consessu, facit argumentum dicendi, vt liberaret seruum, tradidit filium, Deus factus est homo, vt perditus homo de potestate Dęmonum erueretur. Hinc dulcia ligna, dulces clauos, dulcia pondera tulit, verus etenim amor non sentit amaritudines, sed dulcedines; quia soror amoris dulcedo, sicut soror odij amaritudo. Hinc habitu inuentus vt homo, labores nostros ipse portauit, esuriuit, sitiuit, omnes passiones paupertatis nostrę in se transfudit, paruus enim fuisset amor, si pauperem suscepisset, verus siquidem amor, inquit Chrisologus, nonnisi passionibus pro- Argum.

batur. Nonne passiones gustare intoleranter præcupiens, proditorem quasi deprecatoriè hortatur, dicens: Quod facis, fac citius? Charitas verè interminabilis, passiones cupit, passiones desiderat, has quærit, ad has venit in hunc mundum: vult vendi, si vendi desiderat; vult tradi, si tradere cupit; vult crucifigi, si crucifigi optat; vult occidi tandem, si occidi intentat; hoc amat, hoc summa cum animi anhelatione affectat. Ideo Deus meus, vt quid me dereliquisti? quasi de Patre conquereretur, patibulo exclamat suspensus: ex vi enim tormentorum suam mortem accelerari videns, & volens diutius pro nobis ferre passiones, amore refertam querimoniam proposuit Patri, Pater, cur tam citò me mori disposuisti, cur non moras protrahis, vt magis, magisque pro hominis amore adhuc cruciarer? emisso quare spiritu, ab vno milite lancea latus suum voluit aperiri, vt demortuus etiam patiendo monstraret, nobis amando tradidisse cor suum.

Sed quid? homo factus est hominis factor, vt sugeret vbera regens sydera, vt esuriret panis, vt sitiret fons, & lux dormiret, ab itinere via faticaretur, falsis testibus veritas occultaretur, Iudex viuorum, & mortuorum à Iudice mortali iudicaretur, vulneraretur salus, & Cruci appensa moreretur vita. En, B.P. in Insulam Crucis; quæ à terra in cælum

sol-

ſoluentibus, prima occurrit, & vnica, Deus nimiæ charitatis deportatus eſt reus; aliter enim ab hominibus, quibus ita in animo adhæſerat, auelli non poterat: exilij tamen ſui mucrone tabeſcens, deſcribens nutu capitis vota cordis, à tellure ne totus abeſſet, vnde fugatum corpus fuerat, emiſit ſpiritum. Nudus amorem exprimens non iam puerum, ſed adultum, ipſe ſibi arcus, & miſſile, amoris extaſim paſſus, expugnare Cœlum volentibus, machinam affert. O mira res, & magna; at eleganter Gregorius: Amor operatur magna ſi eſt, ſi vero magna non operatur, amor non eſt. Ad hoc, teſte Leone Magno, cum Scribas, & Seniores populi ad impietatem conſilij Pontifices congregaſſent, omniumq; animos Sacerdotum cura admittendi in Ieſum ſceleris occupaſſent, ipſi ſe Doctores legis, lege priuarunt, & ſpontaneo defectu, ritus ſibi patrios abſtulerunt. Incipiente enim feſtiuitate Paſchali, qui ornare templum, mundare vaſa, victimas prouidere, & legitimis purificationibus ſagaciorem diligentiam adhibere debuerant, parricidialis odij furore concepto, ad vnum opus vacant, & in vnum facinus ſimili crudelitate coniurant. In feſto Paſchæ, ſcilicet clara die, & tota Hieroſolyma ſpectante, mortem Crucis ſubijt, expirauit in Cruce, vbi ſecreta nocte, & omnibus arbitris remotis, viuus è ſepul-

chro surrexit; adhoc inquam, quia amor morientis præferebatur gloriæ resurgentis; vnde hæc in nocturna silentia referatur; ille verò meridiana luce omnibus spectandus porrigitur; quod & Ioannes indicauit, dicens. Primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ; ille prior eius mortem; hic posterior eius amplectitur Principatum, & priorem posteriori anteponit, quasi gloriosius fuerit Christo Domino se per amorem, morti subiecisse, quam vniuerso mundo in gloria imperasse. Imò & ipse in throno gloriæ suę vni tantum se præbuit Prophetæ spectandum. Vidi Dominum, inquit, sedentem super solium excelsum, & eleuatum. At vero in patibulo ignominiæ, omnium se oculis videndum exhibuit. Vidimus, & non erat aspectus: bone Deus, pandentem amicum in patibulo, omnibus, sedentem in solio Dominum vni se tantum ostendit, quia magis de sua infirmitate amatoria, quam de propria maiestate gloriatur; quare mellifluus non sine causa, Ibi vidimus, scriptum est, & hic vidi, vt illam quidem intelligas esse communem, hanc verò excellentiæ singularis. Et quidem singularis: voluite enim, & reuoluite totam vitam boni Iesu, non inuenietis eum nisi in passionibus, nisi in Cruce; ex quo etenim carnem assumpsit, semper in pœna fuit, in amaritudine, & angu-


stia,

ſtia, inquit Bernardus, & iure, quia per charitatem de Deo in hominem voluit immutari; atque virginali carcere nouem menſibus relegari. Quis eſt enim mutuum, qui reſpectu amoris, & doloris inter mortales ignoret. Lampades eius, lampades ignis, ſagittę eius, ſagittæ ignis; hinc vulnera amoris apud Platonem, & vulnerata charitate ego ſum. Bene ergo in laboribus Chriſtus à iuuentute ſua, qui naſcens prædicante Paulo ex Hæbreo apparuit amor hominum. Ob id vir dolorum Ieſus, quia ipſe charitas eſt, Ideò afflictus, & humiliatus nimis, quia propter nimiam charitatem ſuam, hinc tandem triſtis anima eius vſque ad mortem, quia cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. In finem, quia non eſt amator, qui non ſemper amat. In finem, quia amor, qui ceſſare potuit, nunquam verus fuit, dixit Hieron. ſi verò nec eum pro vero amore cenſemus, qui mortalis huius vitæ terminis continetur. En vitis Chriſtus: Ego ſum vitis vera, lignum noſtrę mortalitatis, tamquam lignum, quod plantatum eſt, vſque amplexatur in finem.

Exemploque monet tales nos quærere amicos,
Quos neque diſiungat fœdere ſumma dies.

Currendum nobis eſt ergò fidei greſſibus, miſericordiæ operibus, magis amore Chri-

ſti . Redamemus eum quantum poſumus, qui nos in finem vſque dilexit, vt diem Redemptionis noſtræ ſpiritaliter celebrantes, non in fermento veteris malitiæ, aut nequitiæ, ſed in azimis ſinceritatis, & veritatis Reſurrectionis eius poſteà mereamur eſſe participes . Dicebam .



IN

IN FESTO EPIPHANIAE MDCXLIII.



GAVDEAMVS in Domino, B.P. iterum dico gaudeamus; ſermo ſiquidem Euangelicus non humana, ſed diuina, non vſitata, ſed noua, non arte fallentia, ſed veritate ſubnixa, à Deo venientia, non à fato, non collecta numeris, ſed virtutibus loquitur acquiſita. Chaldæos ſyderum ſcrutatores, errantes per aſtra magos, Cœli negotia in tenebris noctium ſcrutantes, ortum Chriſti ſtella duce abſconditũ inueniſſe ſæculis ſentit mundus, Gentiles intelligunt, fallit ſpecies lectionis, ſed nunquã videamus, Magus Deum, niſi Deo iubente perquireret, nunquam Regem Cœli, niſi reuelante Deo Aſtrologus inueniret, nunquam vnum Deum, ſine Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cœlo Dijs totidem, quot ſyderibus ſeruit; & vnde proficiſcentes de Patria qui nunquam viderant Ieſum, nec aliquo contuitu eius, quod eum tam ordinatè venerarentur, aduerterant, talem deferendorum Argum.

rum

rum munerum seruauere rationē? nisi quia præter illam stellæ speciem, quæ corporeum incitauit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit, vt priusquam labores itineris inchoarent, signari eum sibi intelligerent, cui in Auro Regius honor, in Thure diuina veneratio, in myrrha mortalitatis confessio deberetur. Ethiopici ergo fœlix, atque beata, cuius vt prouideatur saluti, humanissimo sol iustitiæ Christus, & mystica Virginis luna simul iunguntur aspectu, sic quod Sol, & Luna steterunt in tabernaculo suo, quorum diuinissimo tracti Reges aspectu, inuenerunt Puerum cum Maria Matre eius. Ab Orientem ad Orientem veniunt Magi, cuius veluti linces illustrantur aspectu, dum procidentes adorauerunt eum. Ab Oriente fugit Hærodes noctua, qui cæcutiens, noui Apollinis dum sensit splendorem. Turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo; operitur camelorum inundinatione Iudæa ad lunam currūt maximis maiores Elephantibus Reges, quam quia GRATIA PLENAM vt PVRI ADORENT, mare pertranseunt contritionis, quando conuersa fuit multitudo maris, non herbas, sed aurum colligunt, incensum, & myrrham, eiq; & puero religiosè offerunt, & adorant, tunc cum apertis thesauris suis obulerunt ei munera Aurum, Thus, & Myrrham. Ad lunam

nam, inquam, properant Reges, à qua recedit Herodes, Draco, quia formatus ad illudendum eis, lunam virgineam tremebundus formidat. Audiens enim Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Mirum quidem Iudæi Regem, & legis auctorem Magus scit, nescit Iudæus, Chaldæa defert, non defert Iudæa; Hierosolyma auersatur, & fugit, & Syria sequitur, & adorat, dum Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes; vbi est qui natus est Rex Iudæorum &c. Diuinissimus enim Titan in ortu ab Oriente, quando flores apparuerunt in terra nostra, tres Reges veluti ventos suauissimos traxit, ibique in Bethleem Iudæ, eorum humanissimè odoriferos ponunt thesauros, apta enim fidei munera portauerunt, vt aurum Regi, incensum Deo, morituro myrrham, scienter offerrent, talique munere, & pietati satisfacerent, & honori.

Video Reges in Gentium tenebrosa nocte sedentes, tetris errorum tenebris obuolutos, tres veluti horas, & ignotas, & spretas, & quasi ad nihilum valeant in nouæ Gentium Ecclesię disposito bene solario conculcatas, de quibus Isaias forsan, sicut hora super montes, sic annunciantes auditum pacis; ex quo tamen splendidissimus, qui illuminat omnem hominem venientem

in hunc mundum, nouus iustitiæ Phœbus apparuit, radijs diuinæ gratiæ micantibus illustrati, in partem sortis Sanctorum vocantur in lumine, de potestate tenebrarum erepti, atquè in regnum filij dilectionis suæ translati, quod & Diuinus Vates prophetauit, dicens, Gentium populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & qui habitabant in regione vmbræ mortis, lux orta est eis: lucidissimis enim distinctæ nostri solis splendoribus, suæ de longinquitate excitantur regionis, & ad cognoscendum, ad adorandum, imò & demonstrandum Iudæis cœli Regem, & terræ lux inusitata perduxit, ideò non interrogantes, sed insultantes, inquit Chrisologus, proclamant. Vbi est qui natus est Rex Iudæorum, vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum. Obstupescat ergò super hoc vniuersus orbis, tanto sic illustrantur lumine, primæ, quod veluti horæ, ab omnibus venerantur Ecclesiæ, cui surge, inquit Propheta, illuminare Hierusalem, nam Gentilis, qui erat nouissimus, factus est primus, quia tunc ex Magorum fide, est gentium dedicata crudelitas, & Iudæorum crudelitas denotata. Splendidissima dies, quam Abraham vidit, & gauisus est, cum benedicendus fidei suæ filius in semine suo, quod est Chri-

Christus, agnouit, & omnium se futurum gentium Patrem credendo prospexit. Hanc diem Dauid canebat in Psalmis: omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine. Et illud notum fecit Dominus super terram, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Solus Herodes impius tenebras magis dilexit, quàm lucem, ideò clàm vocatis Magis, diligẽter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis; occultè vocat Magos, quia palàm nihil audet simulata mens, conscientia dolosa; occultè vocat Magos, quia gentis Iudaicę refuga furtim inuasit regnum, libertatẽ sustulit, confudit ordinem, quidquid disciplinę, quidquid cultus est, aboleuit, amat ideò noctem, sicque amore regni, & successoris timore in occulto tendit insidias, Ite, & interrogate diligenter de puero, vt & ego veniens adorem eum. Cœca certè stultæ æmulationis impietas, quæ perturbandum putat diuinũ suo furore cõsilium. Quàm fœlix foret Herodes, si Magorum imitaretur fidem, & conuerteret ad religionem, quod disponebat ad fraudem! nihil enim hac molitione proficit, nihil peragit; Dominus enim mundi temporale non quærit regnum, qui præstat æternum; mors Christi non est temporis sui, qui enim voluntate est natus, arbitrij sui potestate morietur. Restat

ergò, vt cum Magis commoniti in somnis, in hac scilicet vita, quæ somno similis esse videtur, per aliam viam, per alteram nempè vitam ad illam nostram Patriam reuertamur, de qua per Adam electi infœliciter sumus, per Christum verò misericorditer nunc reducti.


Dicebam.



IN

Digitized by Google

IN DOMINICA PASSIONIS MDCXLIII.





PTATISSIMAM, ac toto Christiano Orbi celebrem diuinæ integritatis demonstrationem habemus, quæ nos inter exultationes spiritualium gaudioru͂ silere non patitur, B.P. licet enim succumbere humanam infirmitatem gloriæ Dei, & in explicandis innocentiæ Christi arcanis, imparem se se semper inueniri iam sciam; laborandum nihilominus sensu, hærendum ingenio bonum est, vt parum sit nobis, quod etiam rectè de Christifera innocentia sentimus. Et quis hominem natu͂ ab omni peccati labe diceret esse immunem, nisi de seipso veritas ipsa dixisset. Quis ex vobis arguet me de peccato? vt autem, quod verbis expresserat, operum etiam stabilitate compleret, proprijs denudari vestibus patitur in Passione, ex quo, vt videbimus, se se pandeat humanitatis mundities, & pulchritudo appareat diuinitatis. Nonnè, vt quos dilexerat suos in finem, ardentiùs dile- Argum.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

lexiſſe monſtraret, vltima deglutiuit ſeipſum in Cœna, & quia ignis conſumens, concepto ideò igne, febricitabat ardenter? Hinc Cœnaculo vel capaciſſimo anguſtiatus, in Horti aperta reſtauraturus receſſit, vbi non ſemel emiſſo ſanguine flammas augeri dignoſcens, donatis veſtibus durum ſtratum aſcendit, vt frigidiori nudus in Monte, aëri reſpiraret. Strenuus certè miles, qui ſupremam deſcenſurus in luctam, vt omne hoſtium ſpolium adimeret, veſtium impedimenta proiecit; & licèt miſerata Creatoris nuditatem natura, tenebris eum contexerit, has tamen eas eſſe non patitur, quin clarè omnibus pateat, ſe nihil maculæ ab hoc mundo accepiſſe, nihilque præter vepres, ac clauos ab hoc mundo aſportaſſe, & matre ipſa teſtante, qualis venerat innocens, talem abire. Ad tormentorum nundinas vniuerſum mundum collegit, quaſi in miſeris calamitatibus tumidus, ibique omnia nudus vulnera oculis omnium aperta eſſe procurat, ſicquè tamdiù deſiderato baptizandus ſanguinis ſui baptiſmo ad nouæ vndæ delitias ſeipſum nuditate diſponit; & quod admiratione dignum, ſimul atquè ſtupore, ſcindi veſtes non patitur, vt hinc etiam conſtaret quantum coluerit in moribus innocentiam, qui eam etiam in veſtibus incorruptam ſeruauit. Refloruit certè ſæ-

fæculum innocentiæ, nouus dum Adam in Paradiso suo nudus incedit. O quam gloriosus apparet Rex Israel discooperiens se, & nudatus, alter fortasse Ioseph, qui relicto pallio aufugiebat peccatum, quippe propter tanti sceleris audaciam ipsas vestes reliquit, vt corporis nudi sinceritas innocentię singularitatem testaret;quis est enim, qui ignoret nudi corporis sinceritatē animi munditiem testari? hinc ridiculus Lippomano Adam, quòd nudus erubesceret Deo apparere vocanti; & vtinàm nudus perseuerasset, nam ita innocēs semper fuisset, & illi præ aureis vestibus nuditas ipsa gloriosior venisset. Quid enim lasciuę profuit Aegyptiæ aureis fulgenti tapetibus adulterium in cubiculo? Quid primæ Martyri Theclæ nocuit nudam in theatro certare? non peccauit denudata, non afficitur ignominia, sed innocens coronatur, Atlhetica namquè, & christiana nuditas non infamat, sed ornat, sed innocentia, atque integritate coronat. Hinc & nudum in ingressu, & in regressu nudum, non hominis deplorantis affectu, sed triumphantis, & gloriam triumphi exponentis, lætabatur Rex ille in Oriente; ad illam siquidem gloriam peruenisse putabat, quam gloriosi primæuæ possessores iustitiæ; primum etenim opificium illud primi parentis imitatus, nudus, inquit, de ter-

IN FESTO EPIPHANIAE MDCXLIV.

DIRIGANT modo vias suas mortales, B.P. qui enim viatorem Deus se fecit, vt homini conuiuium daret, in Ciuitate Panis factus est caro, qui ignẽ venerat portaturus in terras, concipiendæ flammæ aptam quærens materiam, descendit in fœnum, & magis hodiè per rectam incedentibus viam sancta se manifestat in Domo, vbi intrantes inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Iam tunc ergò in omnem terram sonus veritatis exiuit, quoniam Pastores Christus primas sibi oues elegit, inter quas decuit Agnum nasci, & natum ab his primum agnosci, cum Angelorum exercitus editi Saluatoris annunciator apparuit, & Magos ad eum adorandum media stella perduxit, vt à Solis ortu vsque ad occasum veri regis generatio coruscaret, cum rerum fidem, & Regna Orientis per Magos disce-

 rent,

sent, & Romanorũ Imperiũ nõ lateret; licèt enim in ipso Dominicæ Incarnationis Sacramento affuerint clara semper Diuinitatis insignia, Deum tamen venisse in humanum corpus multis modis aperit hodierna solemnitas, ne perdat per ignorantiam semper obscuritatibus inuoluta mortalitas, quod tantum tenere meruit, & possidere per gratiam. Spectabat certè ad omnium salutem, quod Saluatoris infantia iam vniuerso declararetur mundo, cum adhuc exiguo detineretur oppidulo; & licet Israeliticam gentem, & ipsius gentis vnam tantum delegisset familiam, de qua naturam vniuersæ humanitatis assumeret, noluit tamen intra maternæ habitationis angustias, ortus sui latere primordia, sed mox ab omnibus voluit agnosci, qui pro nobis omnibus voluit nasci. Stella igitur noua charitate præfulgens tribus Magis apparuit, quorum oculos, animumque in seipsam conuertit, huius sequuntur ductum, & præuij fulgoris inditium, intenta contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis gratiæ splendore ducuntur, qui humano sensu significatũ sibi Regis ortum æstimauerunt in Ciuitate Regia esse quærendum. Loquitur ista attendentibus coelum, & ignea lingua pro tacente verbo perorans, charitatis suæ noua spectacula primis Astrologis prodijt, nisi

Argum.

namque nouus splendidisset lucifer, nouam diem non decuisset nasci; diuinam pulchritudinem, quam proiecit in stabulo, vt cernerent Magi, nouum cœlo oculum condidit Deus, & qui tanquam sponsus de talamo procedebat, hymeneos suos adducta de cęlo nobilitauit in face. Meritò ideò solemnitas præsens Epiphaniæ vocabulo nuncupatur, in qua illuxit Deitas, quæ nostra nobis obscurabatur in carne. Magi siquidē ab Oriente Christum Dominum muneribus mysticis confitentur, & cultores syderum noctis Incolæ auctorem lucis densis inueniunt in tenebris, vt sit hoc auctoris gratia, non sit quærentis industria, non sit stellæ, sed Dei, sit Creatoris donum, non sit beneficium creaturæ, non sit humanæ artis, muneris sit diuini. Et ecce cur cum Aula turbetur Herodes, & omnis Hierosolyma cum illa: scitum est Heroum Cunas inter natale terrarum cœnum cælesti sæpe luce stellatas mortalium animos in sui timorem traxisse: nondum quare crepundia posuerat Pericles, & Græciam omnem immissis fascibus permiscebat. Adhuc in cunis vagiebat Hostilius, & flamma circa caput emicante Romani Imperij Proceres deterrebat. Vix dū puerilia Ioseph dimiserat, & domesticos lares ancillari stellarum seruitio confundebat. Vix Abel hostias mactare nouerat, & flāma circa

vi-


victimam emicante ſanguinariam fratricidę animam conſternabat. O lætum cœli prodigiũ, ò diuinæ ſtellæ maximam vim; vix enim Chriſti caſulam indicat, & tota Herodis Regia turbatur. Ecce portentum, clamat Hylarius, inermem contremiſcit armatus, Regno ſuo finem nequitia timet, meliorem dum mundo Dominum augur Cometa portendit: Cautus certè Herodes Præſepe declinat, pecudem enim cum mundus eum notet ex moribus, ſi vidiſſet in fœno, Hominem iam vltra exiſtimare nõ poſſet; hinc criminoſam faciendo innocentiam mandat Infantibus bellum, ſic quod ab imatu, & infra pueros multos occidit. Perfide ſi à ſolio te Deus amoueat, quò migrabis? Regni cõſortes non pateris, cœlo inſerendus nõ eris, vbi nemo de populo, omnes Reges; Infantes odiſti, Abrahæ ſinum ne ſperes, in regione namque ſua ſunt, eos indè non fuges: Te recuſaret & Erebus, ſi carnifice non egeret, nuſquam eſſe debueras, dum Deum, qui vbique eſt, tecum eſſe recuſas. At ò altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quam in comprehenſibilia ſunt Iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius; en ſæuitia Hærodis volens primordia ſuſpecti ſibi Regis extinguere, huic diſpoſitioni neſciens ſeruiebat, vt dum atroci intentus facinori ignotũ ſibi Puerum, indiſcreta Infantium cæde per-

 ſe-

sequitur, annunciatum cœlitus Dominatoris ortum, insignior vbique fama loqueretur, quam promptiorem ad narrandum, diligentioremque faciebat, & supernæ significationis nouitas; & cruentissimi persecutoris impietas. Pergite ergo iam Magi Reges Terræ, pergite multo iam modo eruditiores, quàm ante, aliam per viam pergite, & Chaldæis vestris annunciate Coeli Arcanum, stellæ mysterium, Deum nempè manifestum factum in carne, sub vrbanis hactenus obsequijs, sed olim pietate colendum.

VRBANA.

Dicebam.



Digitized by Google

IN DOMINICA PASSIONIS MDCXLIV.

SACRATISSIMVM Dominicæ Passionis diem, quam Christus pro humani generis salute suscepit, & sicut promiserat omnia ad se exaltatus attraxit, tam planè, ac lucidè cantus Ecclesiæ ostendit, vt religiosis, & pijs cordibus (tuo præcipue B.P.) nil aliud sit audiisse, quæ lecta sunt, quam vidisse, quę gesta. Velata facie veluti morituri Regis insignia, vexillũ Crucis extollit, vt in fulgore mysterij, quo vniuersæ conditor carnis est suspẽsus patibulo, cruciati Regis quale Dominum, Imperium quale demõstrat. Vatis quarè diuini diuinationem commendat, quã Regem nostrum virum dolorum appellat, dum & regnasse, sed à ligno regnasse Ecclesia ipsa testatur. Nõ est certè Regnum illud, de quo vt occasionem aliquam perpetrandi in Iesum sceleris Iudaica impietas reperiret, detectis de mendacio testibus, qui iniustis Sacerdotibus famulando, nihil, quod dignũ esset morte, ferentes, Dominum mundi de-

affe-

affectato Regno insimularunt. Quis enim ignorat à terrena potestate affectata esse immunem, cuius specialis fuit de humilitate doctrina? Romanorum legibus non contradixit, & censum subijt, & didragma persoluit, quæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda constituit, paupertatem elegit, obedientiã suasit, hoc autem nonnè? non impugnare Cæsarem, sed iuuare, ne tamen in totum inanis Iudæorum videretur esse obiectio, & thronum Crucis conscendit, & sceptrum Crucis impugnat, sic quod iure Regem, sed in throno Crucis afflictum ipsum commendet Ecclesia, dum vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis mysterium, qua vita mortem pertulit, & morte vitã protulit. Et ad quid quæso sæuientium tradidit seipsum voluntati, & quasi ad irrisionem Regiæ maiestatis propria veste indutus supplicij sui voluit esse gestator, nisi vt adimpleretur, quod Isaias prædixit, Ecce natus est Puer, & datus filius, cuius Imperiũ super humerum eius? lignum ergo portauit Crucis & illud in sceptrum sibi potestatis conuertit; licèt enim apud impiorum oculos magnum esset ludibrium, repræsentabatur tamen fidelibus grande mysterium, gloriosissimus etenim Diaboli victor, & inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie triumphi sui gestabat trophæum, & inuictæ

pa-

patientiæ humeris, signum salutis adorandum Regnis omnibus inferebat, ac si omnes imitatores suos confirmaret, & diceret, qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus; sinè purpura, inquam, Crucem ad Caluaria portauit, benè enim Regem non exprimebat suo Crucis nondum fixus in throno; quià verò nihil habebat cum arundineo sceptro commune, illo abiecto Crucem ipsam assumpsit, quæ grauior quidèm, sed itèm & gratior quis nō videt! hinc nè defectu purpuræ de Regia eius potestate quis dubitaret, Rubrum factū est vestimentum eius proprio sanguine textum; scio nè posset & argui minus honorificè de sui pretio sanguinis, ipsum sensisse, illi si purpuram quamlibet prætulisset, sed nec vereor cum Rex credi potissimùm vellet, præ illo quodcunque aliud paludamentum contempsit. Quid nunc de Rege spinarum loquitur Augustinus? en quod finxerunt Ethnici, modò fecere Iudæi; vt autèm ipsius Regnum patientiæ agnosceretur, nil aliud, quàm quòd cruciat, pro sui coronamento accepit. Stabile certè Regnum, cuius solum corona fixas radices sortitur. Verus certissimè Rex, qui quòd natus fuerat, se negare non audet, & quòd nemo sibi inuideat, Regnum ambit, fateor


ergò, vt cum Magis commoniti in somnis, in hac scilicet vita, quæ somno similis esse videtur; per aliam viam, per alteram nempè vitam ad illam nostram Patriam reuertamur, de qua per Adam electi infœliciter sumus, per Christum verò misericorditer nunc reducti.

Dicebam.



IN

IN DOMINICA PASSIONIS MDCXLIII.





PTATISSIMAM, ac toto Christiano Orbi celebrem diuinæ integritatis demonstrationem habemus, quæ nos inter exultationes spiritualium gaudiorũ silere non patitur, B.P. licet enim succumbere humanam infirmitatem gloriæ Dei, & in explicandis innocentiæ Christi arcanis, imparem se se semper inueniri iam sciam; laborandum nihilominus sensu, hærendum ingenio bonum est, vt parum sit nobis, quod etiam rectè de Christifera innocentia sentimus. Et quis hominem natũ ab omni peccati labe diceret esse immunem, nisi de seipso veritas ipsa dixisset. Quis ex vobis arguet me de peccato? vt autem, quod verbis expresserat, operum etiam stabilitate compleret, proprijs denudari vestibus patitur in Passione, ex quo, vt videbimus, se se pandeat humanitatis mundities, & pulchritudo appareat diuinitatis. Nonnè, vt quos dilexerat suos in finem, ardentiùs dile- Argum.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

lexisse monstraret, vltima deglutiuit seipsum in Cœna, & quia ignis consumens, concepto ideò igne, febricitabat ardenter? Hinc Cœnaculo vel capacissimo angustiatus, in Horti aperta restauraturus secessit, vbi non semel emisso sanguine flammas augeri dignoscens, donatis vestibus durum stratum ascendit, vt frigidiori nudus in Monte, aëri respiraret. Strenuus certè miles, qui supremam descensurus in luctam, vt omne hostium spolium adimeret, vestium impedimenta proiecit; & licèt miserata Creatoris nuditatem natura, tenebris eum contexerit, has tamen eas esse non patitur, quin clarè omnibus pateat, se nihil maculæ ab hoc mundo accepisse, nihilque præter vepres, ac clauos ab hoc mundo asportasse, & matre ipsa testante, qualis venerat innocens, talem abire. Ad tormentorum nundinas vniuersum mundum collegit, quasi in miseris calamitatibus tumidus, ibique omnia nudus vulnera oculis omnium aperta esse procurat, sicquè tamdiù desiderato baptizandus sanguinis sui baptismo ad nouæ vndæ delitias seipsum nuditate disponit, & quod admiratione dignum, simul atquè stupore, scindi vestes non patitur, vt hinc etiam constaret quantum coluerit in moribus innocentiam, qui eam etiam in vestibus incorruptam seruauit. Refloruit certè

sæ-


ſæculum innocentiæ, nouus dum Adam in Paradiſo ſuo nudus incedit. O quam glorioſus apparet Rex Iſrael diſcooperiens ſe, & nudatus, alter fortaſſe Ioſeph, qui relicto pallio aufugiebat peccatum, quippe propter tanti ſceleris audaciam ipſas veſtes reliquit, vt corporis nudi ſinceritas innocentię ſingularitatem teſtaret; quis eſt enim, qui ignoret nudi corporis ſinceritatē animi munditiem teſtari? hinc ridiculus Lippomano Adam, quòd nudus erubeſceret Deo apparere vocanti; & vtinàm nudus perſeueraſſet, nam ita innocēs ſemper fuiſſet, & illi præ aureis veſtibus nuditas ipſa glorioſior veniſset. Quid enim laſciuę profuit Aegyptiæ aureis fulgenti tapetibus adulterium in cubiculo? Quid primæ Martyri Theclæ nocuit nudam in theatro certare? non peccauit denudata, non afficitur ignominia, ſed innocens coronatur, Atlhetica namquè, & chriſtiana nuditas non infamat, ſed ornat, ſed innocentia, atque integritate coronat. Hinc & nudum in ingreſſu, & in regreſſu nudum, non hominis deplorantis affectu, ſed triumphantis, & gloriam triumphi exponentis, lætabatur Rex ille in Oriente; ad illam ſiquidem gloriam perueniſſe putabat, quam glorioſi primæuæ poſſeſſores iuſtitiæ; primum etenim opificium illud primi parentis imitatus, nudus, inquit, de ter-

ra

ra diuino sum munere conformatus, non fucatus, nulla re superuacanea ornatus; in rerum nouitate illustrem primæui illius status vicem considerans, cum in Adamo nudo conditi nudi simus, quod sortiti, quia nullum Nos onerabat onus, nullo pariter egebamus amictu. O ergò nuditas hominum gloria, ò nuditas antiquus latero originalis iustitiæ; vnum peccatum vestium splendor consequitur, altera tamen vestitus scilicet vituperio. Meritò ergo, vt incontinentiæ, & incontaminabilis vitæ reuelaret arcanum, id mortis Christus genus elegit, quo expansus in Cruce, & manus, & pedes, & vniuersa membra nuda oculis inimicorum exponeret, vt illis etiam afferentibus propriam munditiem monstraret; foderunt ideò manus eius, & pedes eius, dinumerauerunt omnia ossa ipsius; considerauerunt insuper, & inspexerunt. Sed inspicite perfidi, & nudum in Cruce iam diligenter scrutamini; inspicite linguam omni probro carentem; oculos, qui nullam extrinsecùs corruptionem senserunt, manus ab iniustitia alienissimas, omni autem iustitia ornatas, pedesque non in malitiam currentes, sed virtutis stadium emensos; scrutamini, inquam, diligentissimè omnia corporis membra, cum omnia nuda sint, & manifesta: pateant omnia, vt singulorum euiden-

dentissimè possit mundities constare; viæ etenim eius, viæ pulchræ, actiones Christi nempè, quas gessit in carne, quæ viæ pulchræ sunt, quia diuinæ. Video quarè Christum post parietem nostrum eminens super retia, inquit Ambrosius: Saul enim bonus præ cæteris liuore euertitur; Dauid secundum cor Domini, posteà cœdis, & stupri reus efficitur; Salomon omni gratia, & sapientia donatus, ad Idolatriam inducitur, quia omnes intrà retia erant, imò & etiam sumus, soli cum Dei Filio seruetur sine delicto manere: Is solus erat, qui cum vinculis huius carnis se circumcidisset captus, non erat alligatus, sed disrumpens ea, atque dissoluens, ad se magis vocauit Ecclesiam, vt ipsa disceret vinculis non teneri. Vincula peccatorum ideò disrumpamus, vt per pœnitentiam Innocentes effecti, Paradisi Ianuas ingredi mereamur.

Dicebam.



IN FESTO EPIPHANIAE MDCXLIV.

DIRIGANT modo vias suas mortales, B.P. qui enim viatorem Deus se fecit, vt homini conuiuium daret, in Ciuitate Panis factus est caro; qui ignẽ venerat portaturus in terras; concipiendæ flammæ aptam quærens materiam, descendit in fœnum, & magis hodiè per rectam incedentibus viam, sancta se manifestat in Domo, vbi intrantes inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Iam tunc ergò in omnem terram sonus veritatis exiuit, quoniam Pastores Christus primas sibi oues elegit, inter quas decuit Agnum nasci, & natum ab his primum agnosci, cum Angelorum exercitus editi Saluatoris annunciator apparuit, & Magos ad eum adorandum media stella perduxit, vt à Solis ortu vsque ad occasum veri regis generatio coruscaret, cum rerum fidem, & Regna Orientis per Magos discerent,

sent, & Romanorũ Imperiũ nõ lateret; licèt enim in ipso Dominicæ Incarnationis Sacramento affuerint clara semper Diuinitatis insignia, Deum tamen venisse in humanum corpus multis modis aperit hodierna solemnitas, ne perdat per ignorantiam semper obscuritatibus inuoluta mortalitas, quod tantum tenere meruit, & possidere per gratiam. Spectabat certè ad omnium salutem, quod Saluatoris infantia iam vniuerso declararetur mundo, cum adhuc exiguo detineretur oppidulo; & licet Israeliticam gentem, & ipsius gentis vnam tantum delegisset familiam, de qua naturam vniuersæ humanitatis assumeret, noluit tamen intra maternæ habitationis angustias, ortus sui latere primordia, sed mox ab omnibus voluit agnosci, qui pro nobis omnibus voluit nasci. Stella igitur noua charitate præfulgens tribus Magis apparuit, quorum oculos, animumque in seipsam conuertit, huius sequuntur ductum, & præuij fulgoris inditium, intenta contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis gratiæ splendore ducuntur, qui humano sensu significatũ sibi Regis ortum æstimauerunt in Ciuitate Regia esse quærendum. Loquitur ista attendentibus cœlum, & ignea lingua pro tacente verbo perorans, charitatis suæ noua spectacula primis Astrologis prodijt, nisi Argum.

namque nouus splendidisset lucifer, nouam diem non decuisset nasci; diuinam pulchritudinem, quam proiecit in stabulo, vt cernerent Magi, nouum cœlo oculum condidit Deus, & qui tanquam sponsus de talamo procedebat, hymeneos suos adducta de cælo nobilitauit in face. Meritò ideò solemnitas præsens Epiphaniæ vocabulo nuncupatur, in qua illuxit Deitas, quæ nostra nobis obscurabatur in carne. Magi siquidē ab Oriente Christum Dominum muneribus mysticis confitentur, & cultores syderum noctis Incolæ auctorem lucis densis inueniunt in tenebris, vt sit hoc auctoris gratia, non sit quærentis industria, non sit stellæ, sed Dei, sit Creatoris donum, non sit beneficium creaturæ, non sit humanæ artis, muneris sit diuini. Et ecce cur cum Aula turbetur Herodes, & omnis Hierosolyma cum illa: scitum est Heroum Cunas inter natale terrarum cœnum cælesti sæpe luce stellatas mortalium animos in sui timorem traxisse: nondum quare crepundia posuerat Pericles, & Græciam omnem immissis fascibus permiscebat. Adhuc in cunis vagiebat Hostilius, & flamma circa caput emicante Romani Imperij Proceres deterrebat. Vix dū puerilia Ioseph dimiserat,&domesticos lares ancillari stellarum seruitio confundebat. Vix Abel hostias mactare nouerat,& flāma circa


Digitized by Google

victimam emicante sanguinariam fratricidę animam consternabat. O lætum cœli prodigiū, ò diuinæ stellæ maximam vim; vix enim Christi casulam indicat, & tota Herodis Regia turbatur. Ecce portentum, clamat Hylarius, inermem contremiscit armatus, Regno suo finem nequitia timet, meliorem dum mundo Dominum augur Cometa portendit. Cautus certè Herodes Præsepe declinat, pecudem enim cum mundus eum notet ex moribus, si vidisset in fœno, Hominem iam vltra existimare nō posset; hinc criminosam faciendo innocentiam mandat Infantibus bellum, sic quod ab imatu, & infra pueros multos occidit. Perfide si à solio te Deus amoueat, quò migrabis? Regni cōsortes non pateris, cœlo inserendus nō eris, vbi nemo de populo, omnes Reges; Infantes odisti, Abrahæ sinum ne speres, in regione namque sua sunt, eos indè non fuges: Te recusaret & Erebus, si carnifice non egeret, nusquam esse debueras, dum Deum, qui vbique est, tecum esse recusas. At ò altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quam in comprehensibilia sunt Iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius; en sæuitia Hærodis volens primordia suspecti sibi Regis extinguere, huic dispositioni nesciens seruiebat, vt dum atroci intentus facinori ignotū sibi Puerum, indiscreta Infantium cæde per-

ſequitur, annunciatum cœlitus Dominatoris ortum, inſignior vbique fama loqueretur, quam promptiorem ad narrandum, diligentioremque faciebat, & ſupernæ ſignificationis nouitas; & cruentiſſimi perſecutoris impietas. Pergite ergo iam Magi Reges Terræ, pergite multo iam modo eruditiores, quàm ante, aliam per viam pergite, & Chaldæis veſtris annunciate Cœli Arcanum, ſtellæ myſterium, Deum nempè manifeſtum factum in carne, ſub vrbanis hactenus obſequijs, ſed olim pietate colendum.

VRBANA.

Dicebam.



IN DOMINICA PASSIONIS MDCXLIV.



SACRATISSIMVM Dominicæ Passionis diem, quam Christus pro humani generis salute suscepit, & sicut promiserat omnia ad se exaltatus attraxit, tam planè, ac lucidè cantus Ecclesiæ ostendit, vt religiosis, & pijs cordibus (tuo præcipue B.P.) nil aliud sit audisse, quæ lecta sunt, quam vidisse, quę gesta. Velata facie veluti morituri Regis insignia, vexillũ Crucis extollit, vt in fulgore mysterij, quo vniuersæ conditor carnis est suspẽsus patibulo, cruciati Regis quale Dominium, Imperium quale demõstrat. Vatis quarè diuini diuinationem commendat, quã Regem nostrum virum dolorum appellat, dum & regnasse, sed à ligno regnasse Ecclesia ipsa testatur. Nõ est certè Regnum illud, de quo vt occasionem aliquam perpetrandi in Iesum sceleris Iudaica impietas reperiret, detectis de mendacio testibus, qui iniustis Sacerdotibus famulando, nihil, quod dignũ esset morte, ferentes, Dominum mundi de-

affe-

affectato Regno insimularunt. Quis enim ignorat à terrena potestate affectata esse immunem, cuius specialis fuit de humilitate doctrina? Romanorum legibus non contradixit, & censum subijt, & didragma persoluit, quæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda constituit, paupertatem elegit, obedientiã suasit, hoc autem nonnè? non impugnare Cæsarem, sed iuuare, ne tamen in totum inanis Iudæorum videretur esse obiectio, & thronum Crucis conscendit, & sceptrum Crucis impugnat, sic quod iure Regem, sed in throno Crucis afflictum ipsum commendet Ecclesia, dum vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis mysterium, qua vita mortem pertulit, & morte vitã protulit. Et ad quid quæso sæuientium tradidit seipsum voluntati, & quasi ad irrisionem Regiæ maiestatis propria veste indutus supplicij sui voluit esse gestator, nisi vt adimpleretur, quod Isaias prædixit, Ecce natus est Puer, & datus filius, cuius Imperiũ super humerum eius? lignum ergo portauit Crucis & illud in sceptrum sibi potestatis conuertit; licèt enim apud impiorum oculos magnum esset ludibrium, repræsentabatur tamen fidelibus grande mysterium, gloriosissimus etenim Diaboli victor, & inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie triumphi sui gestabat trophæum, & inuictæ pa-

patientiæ humeris, signum salutis adorandum Regnis omnibus inferebat, ac si omnes imitatores suos confirmaret, & diceret, qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus; sinè purpura, inquam, Crucem ad Caluaria portauit, benè enim Regem non exprimebat suo Crucis nondum fixus in throno; quià verò nihil habebat cum arundineo sceptro commune, illo abiecto Crucem ipsam assumpsit, quæ grauior quidèm, sed itèm & gratior quis nõ videt! hinc nè defectu purpuræ de Regia eius potestate quis dubitaret, Rubrum factũ est vestimentum eius proprio sanguine textum; scio nè posset & argui minus honorificè de sui pretio sanguinis, ipsum sensisse, illi si purpuram quamlibet prætulisset, sed nec vereor cum Rex credi potissimùm vellet, præ illo quodcunque aliud paludamentum contempsit. Quid nunc de Rege spinarum loquitur Augustinus? en quod finxerunt Ethnici, modò fecere Iudæi; vt autèm ipsius Regnum patientiæ agnosceretur, nil aliud, quàm quòd cruciat, pro sui coronamento accepit. Stabile certè Regnum, cuius solum corona fixas radices sortitur. Verus certissimè Rex, qui quòd natus fuerat, se negare non audet, & quòd nemo sibi inuideat, Regnum ambit, fateor

Digitized by Google

meliore dignum, nisi tale omnium optimum reddidisset; Ex quo enim omnia dedit illi Pater in manus, tale Regnum, & sibi, & suis elegit, vt cunctis notum esset nationibus id, quod canit Ecclesia, Regnauit à ligno Deus. O ergò admirabilis Crucis triumphus, quæ tanti Regis facta est vexillum, ò ineffabilis triumphus Crucis, in qua & Tribunal Domini, & iudicium mundi, & regalis est Crucifixi potestas, qui cætera omnia benè lubens hominibus cessit, auidissimus ærumnarum tamèn vnam sibi Crucem, iucundissimum veluti thronum, seruauit, & non contentus pedibus possessionem eius adijsse, eidem nominis sui cautionem affixit, vt thronum illum vllus vix inuideret, quem ità oneroso titulo possidebat. Rex verè afflictus, qui doloribus suis condimentum perquirens, suauitate proprij nominis nullum opportunius inuenit, illud ideò ægro propius capiti admouit, eoquè veluti galea vsus, Rex non pacificus, qui venit, sed ærumnis armatus irato se opposuit Cælo, & vicit, sic, quod tandem lauream gloriosi pangeret lingua certaminis superquè Crucis trophæo triumphum diceret singularem, qualiter Redemptor Orbis immolatus vicerit. Regem nostrum

se-

ſequamur ergo, eiuſquè mortificationis Crucem in corpore noſtro portemus, vt cum apparuerit vita noſtra, ſecum & nos appareamus in gloria; laborans namque meſſor, quod in ſemine non videt, videbit in meſſe, & quod in ſulco deflet, gaudebit in fructu. Dicebam.



Digitized by Google

IN FESTO EPIPHANIAE MDCXLV.





VTVATIS ab Angelis vocibus in ſacratiſſimo Reparatoris noſtri Natali, gaudium magnum vniuerſo mundo annunciauit Eccleſia, B.P. iàm enim ipſa in pace, Heretici in ira, eius nauis in portu, Hęreticorum furor in fluctibus; Paſtores illius in ſecuritate, Hæretici in perturbatione: oues Domini in tuto, inſaniunt lupi: Chriſtus tandem Rex pacis cum ſumma pace procedens, diſſidium omne fugauit, & ſicut cælum fulgore ſolis', ità Eccleſiam ſplendore pacis luſtrauit. Gaudium & hodiè, & iterùm gaudium Eccleſia ipſa proponit, ex quo ſiquidèm in Iordane eius à Chriſto lauantur crimina, iuncta Sponſo cæleſti conſpicitur, currunt cum muneribus Magi ad regales nuptias, & ex aqua facto vino ſic cuncti lætantur, vt mirum certè ſit, quod à tantæ alacritatis par-

participatione in die tantæ solemnitatis, & lætitiæ sola innocentia exigatur, dum ab Herode instat Pueris bellum, & à sole iam nonum mensem in Virgine fixo vindemia sanguinis excitatur. In mœrore ergò, & gaudio orationis pensum dum soluo, quis ex Herodiana hodiè immanitate non videt, quò tendat zelus, quò prosiliat liuor, quò feratur inuidia, quæ dum temporalis Regni æmulatur angustias, æterni Regis ortum molitur extinguere, dum illusus à Magis mittens Pueros omnes occidit, stridet Herodes Rex cadens ipse in laqueum, quem tetendit; hinc de fide perfidiæ arma desumit; Terreno quærit furore quem natum cœlitus non credebat, ad sinus matrũ militum Castra cogit, inter vbera arcem pietatis oppugnat, in teneris vberibus ferrum durat, lac fundit antequàm sanguinẽ, tenebras ingerit intrantibus lucem, dat antè mortem sentire, quàm vitam. Exardescit frustrata meditationibus suis Herodis insania, necari omnes Bethleem Pueros iubet, & quoniam, quem metuat, nescit Infantem, generalem sententiam in suspectam sibi tendit ætatem. Proh quam belligerum Regem habet Iudæa, in tanta pace nè torpeat, sibi fingit Hostem, quem petat, & nos Herodem aliud quam laruam putemus, quem exterrendis populis natum Argum.


tum conſpicimus ? quàm non ſtabile impijs Regnum eſt, quibus timetur etiàm ab Infante pernicies, & non videt infœlix publicam eius eſſe nequitiam, ipſoſque dormientes ipſum ſomniare duellem, hinc de ſtoliditate aperto marte cõuincitur, aliorum dum ſomnia ſuis ſunt ſagaciora conſilijs. Intendat modò vigil Tyrannus ad omnia, inuenta reſponſa ſunt, quæ, vt eumdem lateant, ſomniantur. Cælum ipſum nè clientum ſuorum videat fugam, quam illis prætulerat, facem, extinguit; Chriſtum Deum quodammodò exterruit tam ferus eſt, hunc ipſe non vt euaderet, ſed vt nõ videret, aufugit: Herodes quarè cœcus ſic ipſum gladijs quærit, inueſtigat cruore, crudelitate rimatur, quòd ſucceſſorem timens, in Auctorem inceſſit: peremit innocentes, volens innocentiam ipſam perire: Alter veluti Sathan, qui cruciatur vocatione gentium, & quotidiana poteſtatis ſuæ deſtructione torquetur, dolens vbiquè ſe deſeri, & verum Regem in locis omnibus adorari; parat fraudes, fingit diſſenſiones, erumpit in cædes; videt enim inſuperabilem eſſe potentiam Regis æterni, cuius cũ mors ipſius vim mortis extinxerit, totam igitur nocendi artem in eos, qui verò in innocentia Regi famulantur, armauit. Sed miſer in altum tendens, cædit ab alto,

cælum pulſans, intrat profundum, ſe occidit, dum vitam conatur occidere, quià capi non poteſt perditione ſalus, occiſione vita, æternitas fine. Hoc eſt plenum mœroris ſpectaculum, quo nos vocant vlulatus Infantium; ſed mœrorem conuertamur in gaudium, iàm enim & Infantes viuunt; & Herodes deluſus, & Chriſtus regnat, qui per Epiphaniam hodiè Iordanis alueum Baptiſma noſtrum conſecratus, intrauit, vt quos naſcendo in terra ſuſceperat, hos renaſcendo reuelaret in cælũ; in ſe haberet liberos, quos pręter ſe viderat eſſe captiuos; faceret vitales ipſe, quos culpa fecerat eſſe mortales; perpetuos redderet, quos mors dederat temporales, & quos Diabolus exules fecerat terrenorũ, hos apud ſe in cæleſtibus ſibi faceret eſſe conſortes. Lætandũ certè; nocentum remedia ſiquidèm admittit innocens, & cum ſordes non habeat, quas relinquat in aquis, habet quas ab aquis aſportet. Inter hoēdos poſitus adhuc Agnus deſcribitur, & dum ſua deponere fingit peccata, trahere prodit aliena. Et vndè lætitia maior, quando & nobis intuentibus ipſis in Columbæ ſpecie Spiritus ſanctus viſus eſt, diuinæque vocis experimur effectus, hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene com-

pla-


Digitized by Google

placuit. Gaudeamus ergò, ex quo enim sub Columbæ specie Spiritum sanctum habuimus in terris, nobis vltrò sydera cælum cedent; Demus vulgato pacis nuntio certam fidem, indè etenim nulla Bella nos petent, vndè Columbam obsidem iam accepimus. Dixi.



IN

IN DOMINICA
PASSIONIS
MDCXLV.





T eccè, B.P. poſt inuſitatum Sacræ Virginis Partum, poſt adorata magorum confeſſione cunabula, poſt multiplicem doctrinam cæleſtis eloquij, & variarum curationũ medelas imperio verbi potentis effectus, Creator, & Dominus omnium rerum Chriſtus, diſpenſationem omnium Sacramentorum, omniumq; virtutum ſalutifera Paſſione conſumat. In hac quarè dierum Pulla in veſte ad ipſius Saluatoris Parentalia ſe componit Eccleſia, lugubriquè facie vexillum Crucis, ceù funeſtiſſimi Regni inſignia, nobis penſandum proponit, nè dum vt eo veluti è ſpeculo oculis continentèr obiecto, miſeranda cruciatuum ſpecies retorqueatur ad mentem, ſed vt ego cum ipſa eius infinitam benignitatis potentiam, per quæ maximè fulgente Cruce, & præ confuſione ferè perterrefacta natura euenerunt, tranſcurram. Hic autèm quis cæteros diuinæ in homines chari- Argum.

tatis effectus cum charitate Crucis valeat comparare; quandò & hanc omnium maximam cecinerit, & commendarit Ecclesia, ò inæstimabilis dilectio charitatis, vt seruũ redimeres, filium tradidisti! Benè qui hominem fecit esse, & nasci iussit, & dedit viuere, & concessit sapere, & donauit tempora, & ætates distribuit, concessit ad gloriam, aperuit ad honorem, præfecit Animantibus, & toti terræ Dominum definita tandèm lege, & ætate præscripsit, eius ità in ipsum benignitatem ostendit. Sed quid? Cum talia, tantaque homini beneficia ob labem peccati deperderint, nisi secunda patiendo reparasset in Cruce, tantò meliora, quantò diuina, præstantiora tantò, quantò cælestia: sic etenim cæli habitatorem dedit, quem dederat antè incolam terrenorum, vt aduersum nullum illi, nullus incursus ampliùs valeret in ipsum humanissimè fecit, seruaretquè conditio certa, quem perdiderat incerta libertas, & esset homo liber omnium sola Domini seruitute, cui benè conditionem, qua factus est, debet, sed magis originem debet, quo est redemptus. Dicant modò filiæ Syon ad quod Regius ille vates inuitabat dicendum, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, re enim uera mundum suum Christus per omnia mitis, & mansuetus intrauit, dum nascitur

no-

noſtro dulcis in germine, dum cunit blandè, blandior ipſe fouetur, dum paruulus in gremio ſe fundit, & reſoluit humano, dum paruulus in collo ſtringitur, & ſtringit toto charitatis amplexu, & vt enutriat, toto dùm nutritur affectu, per omnes benignè currit, & adoleuit ætates, ad nihilum id totùm tamèn niſi in Paſſione tanta benignitate taceret, in morte tota charitate ſuccumberet; nihil enim naſci profuit, niſi redimi profuiſſet; in ſe ergò impias admiſit, & ſacrilegas manus, & quod ſæuientiũ furore agebatur, patienti charitate compleuit; Hoc enim erat Sacramentum illud magnum pietatis, quod Chriſti conſecrabatur iniurijs, quas ſi aperta potentia, & manifeſta, vt poterat, propuliſſet virtute, tantum diuina egiſſet, non curaſſet humana. In charitate Crucis delicias ſuas omnes conſtituit, latronem quarè illum ipſas inficiari qui audet, ſi non Sathanam, vt olim Petrum appellat, à conſortio tamèn Regni ſui tanquam talem excludit, ex quo hominum optimo maiorem iniuriam quærulus irrogauit, cũ quo perire fortunam nõ credidit ipſius vitæ vſui præferendam; vt Chriſtum eſſe illum crederet, abire iuſſit de Cruce, in qua ſolùm morabatur, quia Chriſtus erat, & quia amor; amare tamen latronem iſtum non potuit, qui charitatem ode

rat Crucis, corrigere eum neglexit, qui nihil ex charitate Crucis profecerat, sensit illum sublimitatis suæ inuidum, quam ex charitate Crucis contraxerat, qui eum monuerat, nè thronum Crucis amaret. Infęlix latro, qui in mala causa pessimo argumento vsus, benignitatem Iudicis, quam lucrari sperauerat, desperatus amisit. Quod si charitatem Crucis laudasset, Christo sinè dubio per charitatem morienti placuisset. Et ad quid quæso eius calamitas cælum ipsum cœcauit, quando tenebræ factæ sunt super terram, nisi vt charitatem Crucis in hostes ipsos extensam vniuerso monstraret? scio, quod domui suæ moriturus disponens, immemor rapuisse se olìm, dùm nasceretur, horas aliquot nocti, reddere illas, antequàm discederet, festinauit. Inferorum valuas, eò descensurus, aperiens, eructata indè caligine, aperuisse diem non ignoro. Sed attendite charitatem Deo parem, tot lacessitus iniurijs, vlturus se more suo, excitato in hostium suorum perniciem cælo, totus quia benignitate, & charitate flagrabat, tegere illos superinducta studuit nocte, & procurauit. Excusaturus apud Patrem Populariuum suorum nequitiam, quo facilius suaderet, nescijsse illos quid facerent; amotis charitate Crucis luminibus, cœcos facit. Bone mi Iesu, quàm benè exaltatus in Cru-
ce,

ce, omnia per charitatem ad teipsum traxisti, quando pendente te in patibulo, & charitate regnante vniuersa creatura congemuit, & Crucis clauos omnia simul elementa senserunt, in communionem sui, & terram traxit, & cælum, & petras rupit, & monumenta aperuit, & densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit, debebat siquidèm hoc testimonium suo mundus Auctori, vt in occasu conditoris præ charitate morientis vellent per amorem vniuersa finiri. Quid homo ratione donatus? Reparatoris sui ferum, immanissimum casum non sentiet? fiat modò, vt nostri INNOCENTIA Capitis eius splendescat in Membris. Dicebam.



Digitized by Google

IN FESTO EPIPHANIAE MDCXLVI.





XVLTEMVS hodiè in Domino, & ſpiritali iucunditate lætemur, B.P. annua ſiquidèm reuolutione reparatur nobis, & illuceſcit dies manifeſtationis Chriſti, ab initio promiſſi, in fine rediti, ſine fine manſuri; dignum eſt quarè nos erectis ſurſum cordibus diuinum adorare conſilium, vt quod magno munere Dei factum conſpicimus, magis Eccleſiæ gaudijs celebretur. Magos eccè remotioris Oriẽtis habitatores ſtellis cæteris ſtella mouet fulgentior, ſic quod viri ad hæc ſpectanda non inſcij magnitudinẽ ſanctificationis, Deo ſpirante, intelligunt, vt eos tantæ viſionis myſterium non lateret, & quod oculis oſtẽdebatur inſolitum, animis non eſſet obſcurum; officium ſuum cum Religione diſponunt, & his ſe inſtruunt donis, vt adoraturi vnum, tria ſe ſimul crediſiſſe demonſtrent, auro honorantes perſonam Regiam,

 myr-

myrrha humanam; thure diuinam. In Magis ergò modò super Israel illuminationem gentium perpendens; fœlicissimi Reges exclamare compellor, qui fulgentem, quem quærebant in stellis, in cunis vagientem inueniunt; clarum eccè mirantur in pannis, quem diù in astris patiebantur obscurum, quid vbi videant profundo stupore peruolunt, in Terra Cælũ, in Cælo Terram, in Deo hominẽ, in homine Deũ & vniuerso sæculo nõ capacẽ includi corpore perpusillo, qui enim nobis voluit nasci, à nobis noluit ignorari, & ideò sic aperit, nè magnũ pietatis Sacramentum magni fieret erroris occasio. Benè Christum Israelitici Pastores super gregem suum vigilantes, Angelis nunciantibus, cognouerunt, sed eumdem hodiè in eadem carne manifestatum Gentiles magis curiosa sectantes, signis indicantibus, inuenerunt. Benè illis, ortum Dominicæ Natiuitatis annuncians, loquuta est vox cælestium ministrorũ, sed istis stella tanquam lingua cælorum. Dicunt illi, ad quos sæpius Prophetæ missi fuerant, transeamus vsque Bethleem, & videamus. Dicunt isti, quibus nullus vnquam loquutus fuerat Prophetarum, & suscitantes interrogant, vbi est qui natus est Rex Iudæorum; vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum; licèt Argum.

enim

enim Prophetarum oracula, ceù Tabulas ex bono exemplo deductas Synagogæ iàm dederit Deus, quibus Ecclesiæ futura amplitudo significabatur apertè, præsciens tamen allaturos Hæbreorum sapientes Oraculis obscuritatem, tanquàm peritus, inquit Leo, vni partium exemplaria porrigit cognoscenda, sibi tamen originaria scripta continuò seruat; Promittit quidèm Abrahamo posteritatem, quasi stellas cæli, sed cælo intereà pollicitationis condit exemplum, vt cum putent illi nefariè scripturis imponere, vero decipulas tendere, & exẽplorum faciem verborum fuco mentiri, cõfiteantur cæli mirabilia eius, prodeat stella testis è cælo fidelis, promissi Regni exordia gentium Regibus ostentatura, qua duce ingrediuntur Iudaici Regni præcipuam Ciuitatem, & in Vrbe regia ostendi sibi postulant Puerum, quem ad regnandum sibi didicerant procreatum: Et eccè cur cum Herode turbetur Hierosolyma, Principes, Scribæ; nasci enim non vult prophanus Deum, seruus Dominum, Iudicem Reus, rebellis Principem, perfidus cognitorem. Hierosolyma varia se contaminatione perfuderat; Sacerdotes prophanauerant sancta, Scribæ doctrinam cælestem, scientiam salutarem, vitale magisterium, in suum sensum, in perfidiæ lapsum, in lethale vanilo-
quium


quium commutarant ; hinc est, quòd Christum nolunt nasci, viuere timent, Deum confiteri recusant, quià nouerant se mòx ignominiæ dandos, eijciendos templo, Sacerdotio priuandos. Audiens ideò Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Hìc autèm & quis non obstupescat, bone Deus, orta veritas est, Aula turbatur, Magisquè reditum ad Herodem præcipitur. Ite, & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Sed quid turbatur Herodes, quid Reges ad se reduces latro purpuratus expectat? Grassator vt sit, viam omnem non nouit, illam præcipuè, per quam nobiles animæ reuertentur; nulla spes prædæ ipsum pascat; à Christo namquè venientibus sola pietas est thesaurus, quam furari si posset, quis ignorat, quòd nollet; à suis ideò cætera secura sunt manibus, ex quo apud eum relicta, in quo thesauros suos omnes Deus ipse custodit. A sydere suo fugere didicerunt Herodem, quòd vbi ipsum Hierosolymis vidit, euanuit, & à Principe tam iniquo nè in ipso quidèm tutum se credidit cælo; quamdiù cum Herode stellam amissam videntes, edocti malo suo nobiles Aduenæ Christum quærentibus, quàm noxia sit apud Impios mora, Herodis abiecta benificentia, merentur diuinam; per aliam

namquè viam reuersi sunt in Regionem suam. Quantam ergò gratiarum actionem debeamus Domino pro illuminatione gentiũ probet obcœcatio Iudæorũ. Adorent in tribus Magis vniuersi Populi vniuersitatis auctorem, vt in toto Orbe sit notus, & vbiquè sit magnum nomen eius. Dicebam.



IN

IN DOMINICA
PASSIONIS
MDCXLVI.





ANDEM, B.P. recolendi tempus mysterij Redẽptionis nostræ peruenit, in quo magnitudo Sacramenti ineffabilis ità humanæ intelligentiæ altitudinem, & totius vincit eloquij facultatem, vt & excellentissimis ingenijs,& facundissimis linguis sublimior sit triumphus Dominicæ Passionis. Gaudendum tamèn potiùs, quàm erubescendum est nobis, quòd tantę superamur materiæ dignitate, de qua nemo humiliùs vnquàm sensit, quàm qui putauit sufficisse, quæ dixit. Et licèt magnũ hoc, & suprà omnem captum Sacramentũ excellens sempèr quidèm in cordibus nostris cum tota sui dignitate sit retinendum; hodiè tamèn viuaciorem animi sensum, & puriorem exigit mentis intuitum, cum nedùm recursu temporis, sed tota etiam parentante Ecclesia, omne opus ingeritur nostræ salutis. Gaudendum certè videbimus, inter omnia namquè opera misericor- Argum.

diæ Dei, quæ ab initio ſaluti ſunt impenſa mortalium, nihil tàm mirabiliùs nihil ſublimius, quàm quòd pro mundo crucifixus ſit Chriſtus. Lugeat quarè carnalis Iudæus, ſed ſpiritalis magis gaudeat Chriſtianus, feſtiuitas enim, quæ illis cõuerſa eſt in noctẽ, nobis coruſcat in lucẽ; quoniã Crux Chriſti eadẽ eſt & credentium gloria,& nõ credentium pœna, & quomodo nõ gloria credentium, quandò & Chriſto fuerit ſolum etiam ſignificata triumphus? Hìc autèm reuocate ad mentem quæſo, quomodò ego & recordor pullum, & pueros ſcio, & palmas, quibus Oſanna filio Dauid paulò poſt clamabant non ignoro. Et eccè quomodò Crux ſolùm ſperata tantùm, illi non ſolum non minuit, ſed auxit animi, vt propediem regnaturus, in illa formam ſerui videatur exuere, & libertatis aſſertor, nè pullum quidèm patiatur alligatum teneri; imò eũdem à matre euelli in petitione non ſinat, nè illi quidèm faceret ex ſua Crucis hilaritate triſtitiam. Seniorum perfidiæ innocẽtiam puerorum opponens, in honore ſuo Crucis beneuolentiam magis, quàm reuerentiam exoptans, quo fratres in gaudio,& nos ipſos haberet, Dauidis dici filius, quàm Dei maluit, & ab eiſdem arboribus Crucem expectans, à quibus ramos habuiſſet, condonauit hominibus, vt ipſum ſolis colerent fron-

frondibus triumphantem. Lugeat, inquam, & iterùm sterilis, & effæta lugeat synagoga; exultetur Ecclesia, regnando siquidèm Christus à ligno credentium gloriam per Crucem ipsam, vt præsignaret; non-nisi inclinato capite tradidit spiritum. Hic autèm figite mentis oculos, figite precor, iratum hominibus nè crederetur abire, mori maluit auersus à cælo; quàm ad homines non conuersus, verum est. Quem Patri commendauerat spiritum subiectam effusurus in matrem, supremos halitus direxit in illam, vt vèl exindè mundus agnosceret, nèc se quidèm sanctè mortuum sinè Maria quis non videt? Quasi accessum ad eumdem mors formidaret, ex quo voce non posset, nutu aduocauit, ac prona facie ad se de tellure venienti inclinatus occurrit, quis dubitare potest? nisi fortasse meliorem diceremus, vt telluri indiceret animam, in illam secundo spiraculum vitæ spirasse, seu grauitate suscepti oneris victum caput ruens in pectus, pondere nimirùm suo oppressisse elatos. At ò gloriam fidelium ex Cruce, ab Hierosolymis, & Iudæis capite inclinato auersus, vt Occidentem hanc ipsam Vrbem, hanc Sedem Petri, hanc Romanam Ecclesiam designaret, verè enim tùnc per cancellos vulnerum inclinatus percurrens, nouæ


uę huius sponsæ decorem adamabat, factus signum in nationibus procul, adiuncto & terræ motu, quo rursus Corpus illud sanctissimum quateretur, & exindè dè latere nouus sanguis effluerent, quo fluxu vestræ, Amplissimi Patres, tingerentur purpuræ, tuū istud Regnū, B.P. excitaretur. O ergò admirabilis propter nos homines, & propter nostram salutem potentia, & ineffabilis gloria Passionis. Traxit enìm Christus omnia ad se exaltatus in Cruce, & cum expandisset manus ad populum non credentem, & contradicentem sibi, confitendæ maiestatis suæ sensum totus mundus accepit. Traxit ad se omnia, cum in obsecrationem Iudaici sceleris vnam protulerunt omnia elementa sententiam, cum obscuratis luminaribus cæli, & conuerso in noctem die, terra quoquè motibus quateretur insolitis, vniuersaquè creatura impiorum se vsui denegaret. Traxit ad se omnia, quoniàm scisso Templi velo, Sancta sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, vt figura in veritatem, & lex in Euangelium verteretur. Traxit ad se omnia, vt quod in vno Iudææ Templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno, apertoquè Sacramento vniuersarum vbiquè nationum deuotio celebraret, nunc enim & ordo est clarior leuitarum, & sacra-

cra-

cratior est vnctio Sacerdotum, quià Crux, vt dicebam, omnium est fons benedictionum, omnium causa gratiarum, per quam datur credentibus virtus de infirmitate; gloria de obbrobrio, vita de morte. Bone mi Iesu quis te modò non videat expandentem manus in Cruce ad Populum non credentem, quis te modò non audiat per os Pauli clamantem. Obsecro vos per misericordiam Dei. Extendit eccè membra, dilatat viscera, porrigit pectus, gremiū pandit, vt se patrem tantæ obsecrationis ostendat affectu. Videte, inquit, in me extensum, & exaltatum in Cruce, corpus vestrum, membra vestra, vestra viscera, vestrum sanguinem, & lætamini, si enim quod Dei est, timetis, quarè quod vestrum est, non amatis? Quòd si vos fortè Passionis meæ magnitudo confundit, nolite, nam claui isti non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altiùs charitatē; vulnera hæc non educunt gemitus meos, sed vos magis meis visceribus introducunt, extensio corporis mei vos dilatat in gremium, non meam crescit in pœnam, sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prorogatur in pretium. Crux hæc tandèm non meus, sed Orbis est aculeus, domuit namquè Christus Orbem non ferro, sed ligno,


 gno,

gno, inquit Augustinus; Accedamus ad Crucem ergò, quæ, vt vidimus, fuit & Christo triumphus, & nobis gloria, atque portum præparauit Arca mundo naufrago, quem Sacer cruor perunxit fusus Agni corpore. Dicebam.



IN

IN FESTO EPIPHANIAE MDCXLVII.





BSCVRVM eſt illud, quod in meridiana die claritate cœlum ominatur, dũ inopinato noui luminis radio collucet, B. P. ambigo an refulſerit in nocte dies, ȧn verò cum die nox ipſa permanſerit, cum ſydus adhùc per cœli ſpatia decurrat, & ſol extimam hanc terrę faciem irradiarit, An edito in hanc lucem Bethleemitico Infantulo ſtellæ ſimul cum ſole ſplendeſcunt, vt diem multiplici face ſuccendant, vèl potiùs nox eſt, quam ſtellis, & ſole nouus ſol ipſe conueſtit, vt emicare faciat in media nocte meridiem; An, quòd olim ineptè quidam aſſeruit, preces noſtras, & iaculata in altum ex imo corde ſuſpiria ſtellæ percipiunt, vèl potiùs nouum ſydus ex orbe ſuo prodijt, quod vagientis in fœno pupuli, ac vilibus implicati faſciolis eiulatus audiuit, an ſtellæ, vt fabularum eſt, ſolem quòcunque proceſſerit, inſequuntur; cumquè ſol

ex Oriente caput extulerit, ista quoquè stella in Oriente primùm aspecta, Hierosolymam ad vrbem cum sole festinat; vèl potiùs cum stella in aëris pigmate fulgēs formosissimi quondam Pueri sydus fuisse fertur pro fabricandis præstigijs imolati, ità occisum ab origine mundi, & denuò in Crucis ara litandum portendit hæc stella Puerulum, vt omnes teterrimi hosti s insidias à no stro capite auertat.

Argum. Hoc certè ego arbitror voluisse nuperū sydus auspicari, atque ab extremis Terræ partibus Arabes euocare Dinastas Regio comitatu venerabundos, vt nouo Infantis imperio antiqua colla submitterent, qui nō venerat, vt pugnaret viuus, sed vt triumpharet occisus. Præcesserant, nemini dubium, multa argumenta quidèm, quæ corpoream natiuitatem Christi declararunt. Reuocemus ad mentem quęso, quandò Virga illa Iesse, de qua Diuinus Vates in miraculis forsan naturam ipsam obseruās, quæ fructum datura erat in hyeme, concepit in vere. Tunc quandò facta dierum æqualitate cum noctibus, in Terras vsquè ex æquitate cœli iustitia vera descendit, & vnus in Ariete, alter sol repetiebatur in Agno. Tunc, inquam, cum fortitudo Dei missa, vt Deo capacitatem quęreret patiendi, à salute legationem suam incepit, quià ad perditos vene-

nerat Paraninfus; Tantum quarè genus deperditum fœminæ potentiam agnouit,quæ mundum eo ipso fiat refecit, quo olim est factus. Intellexistis iàm video, quandò missus est Angelus, esse sermonem,vt Dei nuncius ad Virginem in medio mortis æternã feminaret vitam, sic vt exclusos à cœlo, miserans inclusus in vtero,charitatem dilatare Deus ipse didiceret ex angustijs. Et quis nõ dixerit hoc documento nullum aliud inueniri posse apertius, quo corporea Christi Natiuitas manifestis indicijs declaretur. Scio spicam Virginis hanc cœlo vbertatem fecisse, vt sol ad Agni nuptias & ipse vocatus, spicis incesserit coronatus: Videntes quarè homines spicas in cœlo, benè potuerant Christum panem viuum sperare, imò ex quo oleum ministrauerit Tellus aduentum sponsi ignitis lampadibus potuisse Vrbem trahere quis ignorat.

At clariùs certè idem Domini Natalis innotuit, quandò in montana abijt cum festinatione,postquàm Deum ipsum concepit, Altissimus siquidèm pati Valles non poterat, quas impleturus descedit; Cœlum, quietem nesciens,imitatur Virgo, quia Diuinitatis Baiula cœlo ipsi successit, & primus Motor motus defertur ad sterilem, vbi quem oculus non vidit, vterus sensit. Tunc dixi cum ad salutationem ipsius in

vtero Elisabeth nondùm natus Ioannes prophetica exultatione commotus, quasi etiam intra Matris viscera iam clamabat, Eccè Agnus Dei, eccè qui tollit peccata mundi.

Hæc, inquam, argumenta, & quidèm satis nota nati Dei fuerunt, sed paucis tunc videntur innotuisse personis, quæ vèl ad cognationem Virginis, vèl ad Sancti Ioseph familiam pertinebant. Hoc autèm signum, quod Magos in longinquo positos, & efficaciter mouit, & ad Christum perseuerantèr attraxit, illius sinè dubio gratiæ sacramentum, & illius fuit vocationis exordium, qua nimirùm non in Iudæa tantùm, sed etiam in toto orbe Christi erat Euangelium prædicandum, vt per illam Stellam, quæ Magorum visui splenduit, Israelitarum verò oculis nõ refulsit, & illuminatio significata sit gentium, & cœcitas declarata Iudæorum. Fœlicissimi Reges, qui ex quo scrutatores esse non poterant, nequè mysterium capere, mòx adorant. Vident enim non sic lucere in cœlo stellas, lunam, solem & ipsum, quomodò illuxisse carnem contemplantur in terris. Vident in vno, eodemquè corpore Humanitatis, & Diuinitatis conuenisse commercium, intelligunt generis humani amore moriturum, & pauidi cogitando pertractãt, quomodò mori

possit

possit Deus, quomodò possit vitæ restitutor occidi, quærere desistunt arte, quod arte inuestigare non possunt, & qui diù cum astris in cœlo errasse cognoscunt, gaudent in terra se ad Christum ducatu vnici syderis peruenisse, atque eum, quem credunt, sed non discutiunt, muneribus mysticis confitentur, & vt eumdem diuiti placarent obsequio, quem iam curioso, & importuno offenderant instituto. Herodes verò in Diabolo quoquè fremit, ac cum ipso cicuratur Hæbreorum genus, & auferri sibi iniquitatis Regnum existimans, in ijs, qui ad Christum transeunt, ingemiscit; fulgente stella per gratiam, vt adorent supremi Regis infantiam, Gentium Reges accurrunt, Israel verò nec modò confitetur, quod inficiari non valet, nec mente capit, quod scripturarum narratione iam nouit, & nouit certè, dum interrogatus respondet, quod in Bethleem nascitur, estò doctrinam iam deserat, qua alios instruxit, quià insanis Magistris veritas scandalum est, & cœcis Doctoribus fit caligo.


O ergò nos fœlices, nos beatos, quibus datum est, vt in huius sortem hæreditatis electi ductu radiantis syderis, reuersi de Regione longinqua efficeremus gens sancta,

cta, genus electum, & Sacerdotium Regium. Fuimus aliquandò tenebræ, nunc autèm lux in Domino. Faxit quarè Deus, vt ambulemus tanquam filij lucis, impleaturquè in nobis, quod tribus in Regibus iàm præcessit, vt sic luceat lux nostra coràm hominibus, & videntes opera nostra bona, magnificent Patrem nostrum qui in Cœlis est. Dicebam.



IN

IN DOMINICA
PASSIONIS
MDCXLVII.



HOC vnum Pharisaicæ Iudæorum perfidiæ supererat, vt Magistro veritatis Christo lapides intentaret, B. P. si enim lex olim in digito Dei, litteris fuit deformata in lapidibus satis ostendit iniqua perduellium natio se legem excutere, dum lapides iacere in Authorem legis contendit. Ambigo àn cum minime germanum scripturæ sensum exponere, sed potiùs adulterinum intrudere velle suspicarentur, quod Abrahamo se fecerat antiquiorem, lapidibus obruere, quæ in adulterio comprehensis pœna fuit, impijssimè cogitarunt. Vèl potiùs cum vocem Domini audissent, propria corda in modum lapidis obduraffe, & ne diffiteri possent se ex Patre Diabolo esse, qui Christum lapidibus in deserto tentauerat, lapides in ipsum iaculari conantur. Sed quid? Illa tandèm inexperta terris, tremenda cœlis, inaudita sæculis, inferis non ferenda tempestas Dominicæ Passionis aduenerat

rat

rat, vbi in altitudinem maris, & venit Christus, & nedùm Iudæos ex Patre Diabolo natos, sed & discipulos, quorum Pater cœlestis nocturnis in tenebris fluctuantes reliquit, fulgente enim Sole, quid de splendore lunari, quid de stellis ad noctis potuit remanere solatium? Talitèr quarè cum mundi compago tota confuso ordine fluctuaret, & ad primordiales tenebras crederet se Authoris sui Passione deuolutam, nil mirum si cœcutiant Iudæi, & cum ipsis ex Apostolis Iudas ad interitum, quandò cicuratur & Petrus ad salutem, vt notum omnibus fieret, Passionem Christi, & credentibus veritati fuisse gloriam, & non credentibus pœnam; Vndè meritò hodiè, qui omnium sitiebat salutem. Si veritatem dico vobis, quarè arguitis me de peccato?

Argum. Hic autèm ò summam nefarijssimi Israel cœcitatem, exclamare cōpellor, quæ Christo scilicea duritie resistit, voluntatemquè cœlestibus ad se monitis pertrahenti contumacissimè lapidibus reluctatur, tulerunt enim lapides, vt iacerent in eum. Et quis modò miretur amplius, cur lapidem de tumulo amici iusserit dimoueri, & non lapidem ipse potiùs dè sepulchro propellerit? Aditum sepulchri differrare non valet, qui posteà ferreas Inferni vectes, & Tartari claustra diffregit? Turbatur Christus; & in-


infremit spiritu, quasi cor illius nimio dolore frangatur, emolitum ad Creatoris lachrymas saxum non scinditur. Sonorum eiulatu delinitus, ad amicum de monumento educendum accurrit, & lapidem tanti miraculi obicem amouere cunctatur? suspiciat huius facti rationem, qui graphicè in defuncto cœcitatem Hæbreorum adumbratam ignorat; quam vbi radio veritatis illuminare conatur, si veritatem &c. Ne videatur lapis minùs cicurari, quàm Israel, loqui cum lapide renuit. Imò hodiè lapides ipsos fugit; tulerunt enim lapides &c. Ipse verò &c. Nonnè obscurissima dum nocte incredulitatis, imò crudelitatis tenebris inuoluti, sic cœcutiebant Iudæi, vt Christum pro eorum cœcitate meruerint audire clamantem, Pater ignosce &c. Et vident lapides, & clamant, & cœcitatem tantam sono, quià voce non poterant, accusantes, nouum scinduntur in vulnus, tot oris, quot scissuris, veritatem illam lapides fatebantur, quam non credentes Iudæi, irruerunt in lumen verum, tenebrarum filij, & vtentes faculis, atquè lanternis, non euaserunt infidelitatis suæ noctem, quià non intellexerunt Lucis Auctorem. Benè de mane inierunt consilium omnes Principes Sacerdotum, & seniores Populi, vt eum traderent morti. Hoc autem mane non or-

tus illis lucis contigit, sed occasus, neque eorum oculis solitus dies prodijt, sed impijs mẽtibus tetræ nox cœcitatis incubuit; Hoc mane ipsis Templum diruit, & Altare, Legem, & Prophetas ademit, Regnum, & Sacerdotium sustulit, atquè in luctum æternum omnia festa conuertit. Illuxit siquidem cœcis tenebrionibus, sed inutilis dies, licèt quarè mane facto ortus sol fuerit, vndè tamen veniret, aut quò vaderet, non viderũt. Nunquàm securiùs regnarunt tenebræ, quàm illo mane, in quo Solem diuinum captiuum ducere cogitarunt; Vndè cœca necessè est nequitia eos conuincam, oculatum quæ pati Deum non patitur, sed morti tradere inimicissima veritatis contendit. O ergò cœci, & cœcutientes Iudæi, à Diabolo cœco qui dum ducuntur, in foueam illam ceciderunt præuaricationis, quam foderant ipsi; si namquè Diabolus ipse vidisset, quòd sæuiendo in Christum, suum destrueret Principatum, antiquæ fraudis vim non perderet, dum se à Christi Domini sanguine contineret, sed malitia nocendi auidus, dum irruit, ruit, dum capit, captus est, dum persequitur mortalem, incidit in Saluatorem; inuenit sanè in illo molimine impudentis audaciæ dignum cooperatorem, dignumquè consortem, cum impius Iudas maluit minister esse Diaboli, quã

Apo-

Apoſtolus Chriſti, quem non timoris perturbatione deſeruit, ſed cœcus auri ſplendore diſtraxit; & cur non cœcus, ſi cum lanternis, & facibus Solem quæſiuit? Tribus erebi furijs ſe quartam addidit; habuit tedas ſuas & ipſe, quibus mundi lucem extingueret, & non videt infœlix, qui cœcus veritatem dicenti, verumtamen vhæ homini illi &c. non credidit, cœcitatem commutauit in mortem, pompa quarè luminum illa funus ſuum deducit. Non ſic Petrus, qui benè cœcus & ipſe, Ancilla Sacerdotis calumniante perterritus, ex infirmitate periculum negationis incurrit, & ſic cœcus, vt ſolem negauerit, quem ſequebatur à longè. Vix enim in Aulam ingreſſus, quod illicò, & ſimulare didicit, & mentiri, ità quòd ſinè iniuria veritatis nec ſecundas quidem aditum inuenit ad fores; verùm non ità fœliciter, quin vel cum mentiretur, promeret vera; Benè non nouerat hominem deſerere illum, qui poterat; planè non erat is, quem viderant in horto, ille ſiquidem cohortem contempſerat, hic reformidat Ancillam. Non ſic, inquam; veritatis recordatus enim, quam à Magiſtro veritatis Chriſto audierat, antequam Gallus &c. diuino meruit intuitu videri, & pauentis animum, mòx vt re-

ſpexit, erexit, & ad fletus pœnitudinis incitauit. Et eccè, vt dicebamus, quòd Paſſio Chriſti, & credentibus veritati gloria fuit, & non credentibus pœna, nobis verò & credentibus, & pro veritate certantibus (mihi credite, veritatẽ dicenti) erit corona. Dicebam.



IN

IN FESTO
EPIPHANIAE
MDCXLVIII.




LLA tandèm peruenit festiuitas, B. P. qua Christus Signorum lumine suæ, ac nostræ diem illuminationis ostēdit, & qui nascendo, anteà humano corpore se velauit], operando hodie ipse se cœlesti reuelauit arcano. Duplici quarè gaudio ab Ecclesia digna censetur, postquàm enim diuini Numinis perduellis, & veræ Religionis rebellis prophanis ritibus insana mortalitas aberrauit, postquàm fallacibus Dijs operata ex ære sibi, & omnibus damni danda stultè simulachra excitauit, satis iam diu circa turpissimos cultus, vanasquè Numinum religiones infœliciter laboratum, profundam enim illam errorū noctem, teterrimamquè variarum religionum caliginem, qua nimium diù multiplici superstitione Gentilitas cœcutiebat, in liquidum aerem diluit stella, quæ ab æternis cœlorum decisa ignibus, Magorum

iter,

iter, & cæterorum mortalium hodiernæ splendore lucis irradiat: in immenso enim cœli proscenio quolibet sydere fulgurans rutilantior, non tragicum aliquod, aut lethale rubens fax velut funesta Principum ex accensi congerie vaporis oborta, lugubri crine feralis nuncia præmonstrat, sed ex æternis, vt videbimus, Beatarum mentium ardoribus flamma decisa, exarandos propediem tenebrarum Principes Orientis Regibus ferialis læta denunciat, quo reliquam etiam mortalitatem teterrima errorum caligine cœcutientem, ad ob orti solis lumina radijs efficacioribus inuitaret.

Argum.

Verum in hoc exordio qualis sit immũdo nox conijciamus; quando vel in Oriente positi diem quærunt; Ab Oriente namquè Magi venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Sed quò ruunt astrorum cursus periti, & oculatissimi syderum inspectores? Quid ipsos ab extremis terrarum oris, in quibus natura in seipsa deficiens rebus humanis limites ponit, errabundos ignotas rapit in terras, in alienas plagas dubios impellit? non errantis syderis, & rutilantis nouitas; eorum etenim perspicacitas disciplinæ noua subinde sydera hoc affine terris, cœlum portentoso fere partu emitti audaci curiositate demonstrat. Non eorum popularis

Va-


Vatis Oracula; fuerunt etenim à venali potiùs ariolo editæ ſortes; benè in crepundijs Cœleſtis Regis infantia, at in Paſtorio gurguſtio inter aſperas, agreſteſquè paleas, vt ſubſtrata corpuſculo gramina deliteſcēs vix domeſticis Paſtoribus innotuerat; nullus hæc natalia per eorum oras vulgauerat rumor, nulla pupuli nati fama increbreſcens Orientalium aures peragrata pulſauerat, quid igitur, nondum edocti quæ regio cœleſte tulerit pignus, anceps, dubium, longum, difficile iter iniūt ſanctiſſimi Proceres? Scilicèt ne dicamus ipſum Deum Infantem in illo clariſsimo ſydere rutilaſſe; qui eſt ſtella ſplendida, & matutina, idem ille ignis, qui primos noſtræ Religionis ſufflauit Antiſtites ex admirandi ſyderis facibus in noſtras mentes illabens pectora diuinis ardoribus inflammauit, docuitquè nonniſi Cœlorum Regem humanam induiſſe naturam, qui prodigiosè flammas, & aſtra ortus ſui nuncia legarat. Poſt diem ideò, quo coæternus Patri Filius Dei natus ex Virgine prodijt breui interuallo Epiphaniæ intulit feſtum apparitione Domini conſecratum, in quo fidei noſtræ magnum præſidium prouidentia diuina conſtituit, vt dum ſolemni veneratione recolitur adorata in exordijs ſuis Saluatoris infantia, per ipſa originalia documenta proba-

baretur veri hominis in Christo orta natura. Et certè quem tantæ genituræ, diuinæ scilicet, & humanę præfecisset Deus dominatorem, nisi nouũ cœlo oculũ condidisset; neq; enim horoscopari par fuerat Virginis Filio Venerem, aut Martem pacis parenti, aut constantiæ Lunam, aut Saturnum lætitiæ, aut clementiæ vltorem Iouem, aut mendacem Mercurium veritati; sed æreo quo Solem habebant mortales in terris diuina natura præditum, humana carne velatum ad roborandum hanc fidem, qua contra omnes præmuniebamur errores ex magna gestum est pietate consilij, vt gens in longinqua Orientalis plagæ regione consistens, quæ spectandorum syderum arte pollebat, signum acciperet nati pueri, quod supra omnem Israel regnaturum esse monstraret, noua etenim claritas apud Magos stellæ illustrioris apparuit, & intuentium animos ita admiratione suis splẽdoris impleuit, vt nequaquam sibi crederent negligendum, quod tanto ipsis inditio nuntiabatur; quem ideò nec adhuc ipsa Betleem tota didicerat, iam illum credituris gentibus stella inferebat, & quod nondùm poterat humano eloquio differi, cœlo faciebat euangelizante cognosci. O ergò miracula, ò duplici digna gaudio prodigia, artes suæ Magos destituunt, & qui

trahere ſydera ſunt aſſueti, trahuntur à ſydere, Cuius ſtellam vidimus in Oriente &c. Impellit ad iter flammeum calcar, atquè ad portum ſalutis ſoluentibus conſolatur laborem, ad cuius quarè viſum gauiſi ſunt gaudio magno valdè. Et cur non gaudeant, ſi honoris gratia Epheborum nobiliſsimum iubet ad ſe de nocte venientibus facem præferre? qui benè cautus æquè, ac ſolers in regione hoſtium tecta facie perſonatus inceſſit; timuit enim illius Vrbis aſpectum, in qua periturum eſſe præſenſerat, quem recens natum nunciabat. Nouerat malè agentibus omne lumen inuiſum, & illud potiſsimum, quod cœlum parturijt; Tenebriorum quarè in Aula Magi cœcutiunt, & licèt non ſatis quem interrogent, videant, Iudicem tamèn aduenìſſe mundi nouo argumento improbitas turbatione probauit, quia turbatus eſt Herodes, & omnis Hieroſolyma cũ illo. Turbatur Herodes, & vbi ad perſequendum animus ipſius exarſit, ibi ad non credendum Iudæorum ſenſus induruit, gauiſi ſunt Magi, & vbi ipſi ad pedes Chriſti adoraturi accurrunt, agnoſcamus in ipſis vocationis noſtræ, fideiquè primitias, vndè exultantibus animis beatæ ſpei initia celebremus.

Honoretur itaquè à nobis ſacratiſsimus iſte dies, in quo ſalutis noſtræ author apparuit, vt quem Magi Infantem venerati ſunt in cunabulis, nos Omnipotentem inſpiciamus in cœlis.


Dicebam.



IN

Digitized by Google

IN DOMINICA PASSIONIS MDCXLVIII.



CONTINEANT se modò omnes Athænis loci, qui pro legitimis Philosophiæ partibus spurios, & falsos secretò adoptabant errores, B. P. Publico namquè gaudet Magister veritatis Christus, & veritatis scholam generis capacem humani, ne quis se conqueratur exclusum, in publico aperit; Si veritatem dico vobis, quarè non creditis mihi? Hanc à nostris exulasse Regionibus doluerant homines vniuersi; estò nullam magis virtutem odissent, quàm veritatem; fortaßè etenim aut bilingui populo inuisam ad cœlos illam transtulit Deus, cuius etiam faciem præcedere dicitur, vel imis terræ visceribus abdidit, vt statutis de terra temporibus oriretur. Philosophi quarè præstantissimi aram veritatis in antro teterrimo collocarunt, aut certè in puteo demersam esse finxerunt, cum difficile admodum sit eam de tenebris in lucem educere, vel in profundo delitescentem mentis in-

dagatione piscari. En Christus ideò veritas ipsa, & vita erutam hodiè Cimerio de caligine veritatem prouehit in publicum, omniquè tegumento deuelatam Hæbræorum animis obijcit, vt, eiurato mendacio, redderet disseminatæ à se fidei sectatores. Etsi surdum aspidem imitati, lapides iacere tentant in monitorem, vt corda etiam habere lapidea ostentarent, hoc fit, vt videbimus, qui pauci sunt quorum liceat molles auriculas mordaci radere vero, pauci, quos non magis adulatio blanda titillet.

Argum. Bone mi Deus, quàm benè veritatem hanc docuisti mundum, quandò Discipulorum exprobrata incredulitate nostræ statim in te ipso humilitatem naturæ ad Dei Patris consessum eleuasti; licèt enim imminentibus ferijs propria in palæstra Christus non mitescens Athletis eos torqueat præsens, vt vel pudori suo ipsum à mortuis crederent surrexisse: Imò collecturos probrosa quæque hominum scornata ad difficiliorem patientiam per hęc præcisa tentamenta disponat, & quod plurimum refert, periculorum filiam securitatem agnoscens, iam omnem contemnerent iram, ipsos docuerat, ipsum, qui iratum pati potuerant, & tandem fori sui substituturus cognoscitores, & Iudices, quo mitiùs de alienis inquirerent, illis opportunè propria piacula ex-

exprobrauit. Melius tamen fortaſſe liceat nobis ad rem hodie penſare; adulari cuipiam, ne in extremis quidem piaculis potuit veritas ipſa. Recumbentibus quarè querulus conuiuia ſuperuenit, & voluptatem, quam ſpectatus feciſſet ſciens intercludiſſe auditum, ſtatim ab eiſdem diſceſſit, quando nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Collegit bonus veluti hoſpes ſarcinulas, gratus etenim mundo accidere non poterat, qui vitia mundi palpare non nouerat; rarum ſciebat in terris, qui beneficia vtilitate metiatur; Vulgus etenim id vnum prodeſſe credit, quod auribus ſonat, hinc ægrorum ſæpiùs ſola ſunt lenimenta remedia, & vbi ferrum, aut ignem vlcus deſideres, tollerabilior quàm medicina ſit morbus. Loquatur Saluatoris noſtri Præcurſor Ioannes, cuius adeò concionibus Herodes Tetrarca delectabatur, vt eius impulſu facundiæ multa præſtaret, vbi tamèn inceſtam ſibi libidinem obijci audiſſet, quaſi furijs agitatus, in carcerem detrudi Baptiſtam imperauit; Ità vox illa clamantis in deſerto in Principis aula ſupprimitur, atquè Puellæ ſaltanti, varijſquè ludenti blanditijs exciſum caput in diſco porrigit, quia in doloſis Regum ædibus plerumq. triumphat de veritate mendacium. Parum prodeſt Baptiſtam eadem cum Ioſepho caſtita-

tis

tis prærogatiua muniri, & eadem seruandæ causa pudicitiæ in vincula conijci; ipse etenim in tenebrosa custodia capite diminuitur, vbi iste ereptus è carcere, ad primas Aegypti est dignitates euectus, in Regali siquidem Curia summa fastigia Iosephus retinet ille, qui somnia tractabat, imagines, & veritatis vmbras exponebat; ille verò Ioannes, qui solidam, nudamquè Herodi lasciuienti aperit veritatem, qui effrænatam perdito Regi cupiditatem obiectat, ille, ille mortis immanissimæ ædicto succumbit, alienæquè maculas impudicitiæ proprio cruore detergit. Nonnè illum eumdem Christum, quem vnum ex tribus adorasse Abrahamum, gratissimoquè Domus accepisse hospitio solemne est apud omnes, in Crucem agere posteri satagerunt? Quem veneratus est in lucta Iacobbus, ac vt sibi benediceret, postulauit, isti onerarunt blasphemijs, & quem summo honore Patres integerrimi coluerunt, saxis è templo conantur hodie explodere degeneres filij. Fortassè, vt inquit Crisologus, quia figura honor, veritas putatur iniuria; vbi quare olim confictî corporis indumento vteretur, in sui adorationem homines facilè traxit, sed vbi veritatem ablatis vmbris exhibuit, nostræquè verè spolium humanitatis adsciuit, statim fuit odio circumdatus, ver-

be-

beribus dilaniatus, ligno trabali suffixus. Oh ergò misera generis humani conditio vbi, estò pro omnibus veritatis schola aperiatur, Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? ad aliam tamèn multi plerumquè tradunt, & peruiam falsitatis currentes, recepto fidei cursu, ad Christum tendere qui debuerant, in vacuum currũt, qui non recto veritatis tramite gradiuntur; Ita Iudæi, qui Christum Dominum legis ignorant; ità Philosophi, veram Christi sapientiam qui nesciunt; ità Hæretici, qui veræ fidei gratiam accipere non merentur; sed quid nonnè & in Republica Catholica diminutæ sunt veritates à filijs hominum? Non sic nobis, si enim vlla vnquam in Aula decuit veritatem regnare, Romanam hanc Vrbem Sponsi Domum profectò decet sanctitudo, vt vbi sedet Oraculum veritatis, ibi omne desinat esse mendacium. Dicebam.



IN

IN FESTO EPIPHANIAE MDCXLIX.





OVAS ſemper excogitat rapiendi cordis humani rationes Diuinus Amor, Beatiſsime Pater, Cœlos celare nobis diuinam bonitatem non arbitror, ſed potiùs ignito ſyderum eloquio Dei gloriam enarrare, patefacere maieſtatem. Eccè noua *Stella* iacentem in cunis Infantem annunciat; Vel quià ille adhuc expers loquendi laceris vagiebat in pannis, vel quia inconditam, ſimilemquè emittebat omnibus vocem, ſcelera noſtra deplorans. Quamuis ſydus hoc pyramidato radio comatum, opportuniori cometem vocabulo dixerim, cum Hebraico Populo ſupremū minitetur excidiū, erumpentemquè Gentibus fœlicitatem portendat; dum enim Sabæos è ſuis Regionibus Principes
Argum. euocat per nouum Stellæ Natalem in Oriēte noſtræ clarum ſalutis argumentum deſignat, quo tenebricoſis in mentibus gra-

tiam

tiam quoque diuinam Solem iuſtitiæ præ-
curriſſe demonſtrat.

Et certè quis nunquam putauit, Magos
hoſce Dynaſtas naſcendi, moriendique
cauſas cœlorum curſibus aſcribentes bona,
malauè hominum de arbitrio luminarium
firmantes, Chriſtum natum per ſtellæ nutus
ducatum inueniſſe, de cuius corporeo ob-
tutu teſtantur. Vidimus ſtellam eius in
Oriente? Non ſunt hæc, quæ alludant ocu-
lis, ſed cordibus ſunt infixa, non coniectu-
ris nutantia, ſed diuinæ ſunt gratiæ autho-
ritate firmata. Videt quidem Magus, qui
habet ſtellam, ſed non habetur à ſtella; ne-
què enim agitur curſu ſtellæ, ſed ipſius ipſe
per cœlũ ſic curſum dirigit, ſic moderatur
inceſſum, ſic viam temperat, vt ipſius in-
ſeruiat, & mittatur ad greſſum, ambulante
etenim Mago ſtella ambulat, ſedente Mago
ſtat ſtella, Mago dormiente excubat, ſcili-
cèt vt dicamus ipſum Deum Infantem, qui
vt natiuæ hyemis vmbras tenebricoſique
ſquallorem ſtabuli, natiuis fulgoribus col-
luſtrauit, ità illis Heroibus in profunda er-
rorum nocte per præcurrentis gratiæ ſplẽ-
dorem coruſcauit, & paſtorales omnium er-
rantium excubias ſubito lumine circumful-
ſit; Populus enim, qui ſedebat in tenebris,
vidit lucem magnam, lux orta eſt eis, vnde
nec dubij de nuncio, nec incerti de puero

IN FESTO

EPIPHANIAE

MDCXLIX.





OVAS ſemper excogitat rapiendi cordis humani rationes Diuinus Amor, Beatiſsime Pater, Cœlos celare nobis diuinam bonitatem non arbitror, ſed potiùs ignito ſyderum eloquio Dei gloriam enarrare, patefacere maieſtatem. Eccè noua Stella iacentem in cunis Infantem annunciat; Vel quià ille adhuc expers loquendi laceris vagiebat in pannis, vel quia inconditam, ſimilemquè emittebat omnibus vocem, ſcelera noſtra deplorans. Quamuis ſydus hoc pyramidato radio comatum, opportuniori cometem vocabulo dixerim, cum Hebraico Populo ſupremũ minitetur excidiũ, erumpentemquè Gentibus fœlicitatem portendat; dum enim Sabæos è ſuis Regionibus Principes
Argum. euocat per nouum Stellæ Natalem in Oriẽte noſtræ clarum ſalutis argumentum deſignat, quo tenebricoſis in mentibus gra-

tiam

tiam quoquè diuinam Solem Iustitiæ præcurrisse demonstrat.

Et certè quis nunquam putauit, Magos hosce Dynastas nascendi, moriendique causas cœlorum cursibus ascribentes bona, malauè hominum de arbitrio luminarium firmantes, Christum natum per stellæ vnius ducatum inuenisse, de cuius corporeo obtutu testantur. Vidimus stellam eius in Oriente? Non sunt hæc, quæ alludant oculis, sed cordibus sunt infixa, non coniecturis nutantia, sed diuinæ sunt gratiæ authoritate firmata. Videt quidèm Magus, qui habet stellam, sed non habetur à stella; neque enim agitur cursu stellæ, sed ipsius ipse per cœlũ sic cursum dirigit, sic moderatur incessum, sic viam temperat, vt ipsius inseruiat, & mittatur ad gressum, ambulante etenim Mago stella ambulat, sedente Mago stat stella, Mago dormiente excubat, scilicèt vt dicamus ipsum Deum Infantem, qui vt natiuæ hyemis vmbras tenebricosique squallorem stabuli, natiuis fulgoribus collustrauit, ità illis Heroibus in profunda errorum nocte per præcurrentis gratiæ splẽdorem coruscauit, & pastorales ouium errantium excubias subito lumine circumfulsit; Populus enim, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, lux orta est eis, vndè nec dubij de nuncio, nec incerti de puero

noctis cõncubio raptim concitato, cœlestis gratiæ dono itineri se committunt; Diuina siquidem gratia præuenti, nullis fuerant iteratis vocibus accersendi, nullis repetitis clamoribus compellendi, vt effuso cursu, omnibus spretis periculis, ad recens nati Numinis officium, propriæque salutis portum Christiani orbis primitia aduolarent.

Et quæ maiora quæso pericula, quàm in rebellem Ionam expediebantur, fremunt fluctus irati maris, sæuis diris ventorum turbinibus irata tempestas, cœlum atrarum nubium concursu conglobatum, non alio, quàm igneo fulminum lumine coloratum, nauis in extremo salutis articulo, vel alliditur scopulis, vel vndis immergitur; Quandò præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam; cur autem præparauit, inquit Hieronymus, nisi vt pro morte præberet habitaculum, & quem in mari iratum senserat dominum, in morte propitium inueniret; Cur præparauit, nisi vt è naui, in qua fluctuabat, piscis transferret in ventrem velut in portum; Nautarum feritati subducit, vt belluæ commendaret; è manibus inimicorum in animantis transtulit fauces; è gladijs in dentes, & quem viuum pati non poterant socij, in feræ visceribus illæsum esse præcepit. Et ecce


cur

cur Magos Reges non montium inhoſpita terruerunt, non igneam voluntatem percurrentes in arenis Aegyptijs venti difflarunt, non immenſi itineris longitudo quaſſauit, quià vberior in atrociori diſcrimine virtus conçeditur, plura beneficia periclitanti populo condonantur.

O ergò perfectæ ſcientiæ mirabilem fidem, quam non terrena ſapientia erudiuit, ſed gratia Spiritus ſancti inſtituit. Quis in Seruatoris noſtri natali ſpicam Virginis in cœlis conſpexit, & panem de cœlo ſpectandum eſſe affirmauit? Quis tellurem oleum miniſtrantem vidit, & exclamauit, Ornate veſtras lampades Sponſus venit, verè homines initiaturus Athletas, deſcendit Chriſtus in Orbem, ſed num vt vngerentur fons oleum dedit? Floruerunt Engaddi vineæ, vicinitatem autèm Solis æterni nemo ſolus ignorat, Fuit Ianus in templo captiuus; At quis ſenſit adeſſe ſæculum pacis? Fœliciſſimi Reges, quæ enim omnia carnalis Iſrael non intellexit, & legit, & quærentibus Magis oſtendit, in Bethleem Iudæ, ipſi & viderunt, & cognouerunt, & inſpirante in eorum pectoribus inſpiratione Diuina, inquit Leo, prædicauerunt, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?

Cur ergò non satagemus, vt per bona opera fontes nobis aperiantur gratiæ Diuinæ; quæ enim potuit Christum notum facere in Infantia lactentem, multò magis poterit manifestare in Maiestate regnantem.

Dicebam.



IN

IN DOMINICA PASSIONIS MDCXLIX.



RECVRRVNT, Beatiſsime Pater, propitio mortalium reparationi ſydere ſtatiuæ illæ feriæ, quibus Agnus occiſus ab origine mundi, tandem feriatur in victimam, & in veternoſo hominum otio in medio terræ ſalutem operatur: Quia verò innocens iubetur ad aram immolari, quæ purior hoſtia, quæ victima Chriſto innocentior poterat pro nobis offerri, qui innocens, impollutus, & cœlis factus excelſior ſuæ integritatem naturæ liuidis Hæbreorum oculis obijcit, vndè de peccato arguat? Prohſcelus! cãdor erat lucis æternæ, & maculoſi in niue rimantur maculas, electus ex millibus præ pulchritudine, & nouiſſimum virorum obtundunt; ſuper quem Diuinus Spiritus manſit, malo ſpiritu latrari dilatrant; ſed benè cadit non alieno indigére patrocinio Chriſtum, cum ipſa ſibi veritas patrocinetur, quamuis contendant alij, non tam

argu-

Argum. argumentis obruere, quam lapidibus. Esto (vt soles) pro hac veritate diluenda innocens vniuocè Iudex, B.P. semper siquidem verum erit oblatum esse, sed Agnum sine macula, nequè aliundè reum, quàm nimiæ charitatis.

Antè hanc ergò Cathedram Veritatis Magistram, vbi sedet, à quo veritatis oracula procedunt, mecum hodiè in Iudicio contendant Principes isti, ac Scribæ, & cum admiratione interroganti respondeat, cur lapides iacere tentent in Præceptorem, eò præsertim cum veritatem prædicet, & obijciat. Si veritatem dico vobis, quarè arguitis me de peccato?

Nonnè tantus fuit semper apud antiquos veritatis amor, vt Italicæ parens Philosophiæ Pytagoras publico edicto contrà solem loqui vetuerit; quià nimirum turpe sit homini veritatem, cuius oculos stellarum fulgorem imitari Medicorum Princeps scripsit Hypocrates, obscurare velle mendacijs? Et qua de causa putandum est Moysem olim legis Diuinæ præconem Israeliticis gētibus fictiles è limo statuas prohibuisse, nisi vt laudandas alioquin, elegantesquè artes picturam, & statuariam è sua Republica, eliminaret, quod veritatem mendacijs velare videntur? Quid igitur lincæi Pharisaicæ Turbæ Censores quærunt

ho-

hodiè nidum in ſcirpo, vmbras in ſole arguunt, apes de ſocordia ſugillant; an ignorant, quòd veritatis teſtificatio nunquam à ſua luce diſcedit? Et quæ veritas clarior, quàm quòd caret labe peccati conditor orbis, qui diſtricti Iudicis indignationi liniendæ litabatur, vt hoſtia. Debuit nimirùm ipſemet Deus humanos artus induere, inuſtamque à peccato notam ità detergere, vt innocentiæ candorem ipſe ſolus aſſumeret; nè de peccato argueretur. Quæ veritas ſplendidior, quàm quòd deſcendit Chriſtus in Orbem, amore hominum tractus; & totum hominem, ac propter ipſum patitur Deus homo, non quià turbas ſeduxexerit, vel tributa negauerit, aut Regiam affectauerit poteſtatem, ſed quia nimis dilexit, nimis amauit, inquit Chryſologus. Nonnè igneus in rubo ſplenduit, vt perfidia frigidos fidei calore ſuccenderet? Nonne cœleſti flammeus in columna illuxit, vt remotis ignorãtiæ tenebris viam poſſemus ſcientiæ percurrere ſalutaris, & idem nubis verſus eſt in columnam, vt ardentes noſtri æſtus temperaret ingenij. Hæc eſt veritas, ad cuius ſonum odio gratis oderunt. Sed quid? nonnè apparuit amor hominum, inquit Paulus, & propter nimiam charitatem, qua dilexit nos Deus? Imò hæc eſt culpa, qua ſola pependit Chriſtus in ligno, cum

enim

enim dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Sed quià adhuc oculatiſsimi iſti Ariſtarchi cunctantur,& veritatem veritatum inficiari non deſinunt, teſtes de viſu eos tandem compello. Et quid antè Præſidem Chriſti ſilentium oſtēdit, niſi vt conclamatam omnibus necem ipſo ſilentio confirmet, nè crimen diluens dimitteretur à Præſide, & Crucis vtilitas differetur? Quid cum actus in Crucem guſtato ſtatim aceto emiſit ſpiritum, niſi quià cupiebat ſicut pullus hirūdinis in Crucis nidulo mori, ſed quià diuturna nimis hora differebatur interitus, ſpongiam ideò aceto plenam paulatim labijs expreſſit, & ſtatim animum è corporis nido dimiſit; Inclinauit tamen prius caput, vt videret, an aliquod ſupereſſet ampliùs genus ſupplitij, ſed cum omnis vidiſſet finē conſumationis, ſpiritum afflans, terram ingenti metu concuti voluit, & quaſſari, vt monte ipſo Caluariæ contremiſcente ſanguis omnis è corpore excuteretur. Quid ad hæc modò obcœcati propria in malitia Iudæi? velint, nolint, nulla erit vnquam veritate poſterius crucifixum quidem fuiſſe, non quià peccauit, ſed quia voluit; Vnde benè Eccleſia luſtris ſex, qui iam peractis &c. Dicebam.

IN

IN FESTO EPIPHANIAE

ANNVS IVBILEI MDCL.





DSVM læti ſpectaculi nuncius, B. P. quod quantum in ſe habet peregrinæ dignitatis, longè plùs autèm quàm vt à nobis neq. cogitatione quidem cõprehendi poſſit, tantũ reuera omnium animis afferre debet admirationis, & gaudij. Deus hodiè fit pro nobis ſcena in nuptijs, in Iordane, in Præſepio, quaſi actu triplici triplicis apparitionis ſolemni pompa recluſa, vt æquum certè ſit ad ea, quæ ex ipſa panduntur myſteria, Cœlum nouo ſydere feneſtratum accurrere, Orientem conuulſum ſedibus properare, & nos pro oculis oculatos animos tantiſper intendere. Cum enim eo omnes naſcantur ingenio, vt quæcunque inſolita accidunt, non modò pro rerum magnitudine oblectemur, ſed parum etiam illi, quam cepimus voluptati Argum.

admirationem mentium coniũgamus. Quid tam nouum, atquè insolitum, tàm peregrinum, & singularé, quàm conuiuam videre hodiè in epulis pauisse potiùs, quàm pasci ?

Sed qui aliam mundo omne Diuinitatem suppleuerat, nonnè & in nuptijs supplere debuit hymeneum ? abundè docturus homines qualiter se gererent in aduersis, præbere se quoquè voluit normam in prosperis, nè odiosum fieret mundo numen, si cõtubernium haberet peremne cum miseris, cum fœlicibus nullum. Quasi Sol quare eminens in Zodiaco vindemiarum hilaritatem primo fecit in signo, & facturus olim è vino sanguinem, vt sacramento suo fidem omnem astrueret, credibile illud facere in primo voluit signo; Aquas enim in nuptijs saporauit in vinum, sic quod ipsis interfuisse virtutis fuerit, non voluptatis, non fuerit humanitatis, sed potestatis, signi fuerit causa, non ventris, ebrietatis apparatus non fuerit, fuerit diuinitatis ostensio. Fœlicissimæ ergo nuptiæ, quibus Christus est præsens, & quid ibi non transiuit in gratiam, vbi aqua transiuit in vinum, & in sanguinem transubstantiandam esse designat. Differat modo Architriclinus in conuiuium augustius admirationem, vbi siquidem vitem, cuius nos palmites sumus, conspexerit, mirari iam desinet, tam sapidum ab illo vinum


ve-

venisse. Iam verò post nuptiales epulas, quę noua habentur in Iordane spectacula, vbi baptizari voluit à Ioanne Christus, vt per hortamenta Ioannis, & per propria documenta homines in aquas alliciens, non leue salutaris cuiuspiam prouidentiæ faceret argumentum. Designauerat iam apud ipsum hominum Piscatores, prouidè quarè præparat eorum sagenæ nobilissimam prædam. Ignorabant ipsum adhuc Tyberiadis nautæ, & iam illorum in gratiam terrenum animal fieri iubet aquatile, & nequè deesset vnquam lucri materies exeuntibus in capturam illis frequentiā vrbium in elementum Piscium cōmutauit. Acceptum à Ioanne verbis honorem cum fœnore factis, vt reddat, infrà calceamenta demissum supra sibi caput euexit, & in humilitatis studio solus vt esset, obedientiam commissam reluctāti Ioanni iubet vt seruus fiat, qui vt æmulus esset, orauit, & vt nouæ regenerationis omnis tollatur suspicio, Spiritus sanctus toto se fudit illapsu, quandò Pater de Cœlestibus clamat: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui. Vt quibus in creandis nobis operatio fuerat vnà cum Filio, vna fieret etiam de nostra reparatione, de nostra pace dignatio; ipsum Spiritus fideiussor leuauit à fonte, & Cathecumeno

ſuo conſolatur in Albis, & ipſe, quià in Columbæ ſpecie totam diuinitatem ſuam pro Chriſti diuinitate, pro noſtra pace locauit. Gaudeamus ergò omnes; dico iterum gaudeamus, Paraclitus ſiquidem hodiè Spiritus in Columbæ ſpecie deſcendit, Theſauros nobis anni ſanctioris aperiens, ac ſuprà caput Chriſti præſagio veluti fœlicitatis inſiſtit, vt indè fauſto intelligamus auſpicio omnia pacata Maria; ventos in theſauris recluſos, initam tandem pacem Deum inter, & homines æterno fœdere duraturam. Nonnè per totum Orbem Columbam audiſtis clamantem in Anno remiſſionis, & pacis ad communem hanc matrem credentium fideles concurrite omnes. Quæ porrò vox, dum in amoris ſignificationem erumpit, patrem vitali amoris plaga vulneratum enunciat, Patrem Innocentiſsimi nominis ipſum proclamat, & oſcula pacis ſymbola, atquè authoramēta obedientiæ ipſius pedibus libare nos admonet, ipſum audite; vt mirandum profectò minime ſit, ſi huiuſcè vocis ſonus amabilis ad vltimos vſque terræ fines peruenit, & poſt Magos Reges ex omni gente cognitos ad adorandum pertraxit; Et procidentes adorauerunt eum. Sed quia longioris orationis lumine hic alter noſtræ

ſce-

scenæ actus non indiget, qui & suo satis, & nouæ stellæ accessione illustratur, hic ideò ne sacram Magorum adorationem, & Virginis Matris cum Regibus dulcissima colloquia inter turbem, tempori cedo libenter & loco. Dicebam.



IN DOMINICA PASSIONIS MDCL.



IRVM certè, ac propè incredibile, exploratum tamen, & verum eſt, B.P. illud Auguſtini pronũciatum homine nullam eſſe immaniorem feram, ſi ſibi relinquatur; licèt enim ita natura compertum ſit, vt habeat viuere cum plantis, ſentire cum animantibus, & cum cœlitibus ratiocinari, ità tamèn, aut diſtrahitur cupiditatibus, aut illecebris irretitur, ſiuè etiam iracundia perturbatur, vt obſcurata intelligentia, nihil humani interdum in ipſo reperiatur; Iudæi quarè erroris caligine excœcati, in Saluatorem innocentiſſimum per varias iniurias, & verbis, & factis, ſeù etiam lapidibus impetum cogitarunt, ſumma ſiquidèm nefarij hominis eſt conditio, vt Deo vocanti reſiſtat, & adamantino corde contumaciſsimè reluctetur. Reputemus modò Ionam Diuino reluctantem imperio, à facie Domini profugum, extrema terræ confinia quæritantem, qui iam ſeipſum

Argum.

ami-

Digitized by Google

amiserat.Ibat ille naui fluctuante deuectus, vt vel ex eo flexibilem induret animum, quod in omnem temerè partem iactari cerneret nauim; Accipiebant ventos irruentes vela turgentia,ne leuem diuini Spiritus auram immeare sinebat in pectus, sæuiebat tempestas, & iam iam disrumpi nauigium videbatur. Vates in tanto periculo perfurentem procellam scopuli ad instar sustinebat. Proijciebant nautæ grauiores in pelagum merces, negabat ipse obstinatæ saxum deponere voluntatis. Quid plura? mittuntur sortes, Ionæ funesta sortis alea contingit, fit volubilis fortunæ ludibrium, ipse tamen sui nil miseratus infortunij,sortis calamitate non flectitur. In mare demergi postulat suæ reus, & iudex contumaciæ; traditur quarè ceto vorandus, dumque mandatum Dei putat effugere, pisci portitori committitur, vt quò obstinatiùs rationalis homo resisterat,eò promptiùs irrationalis bellua obediret. Et quid quæso Vates ille profectus in Bethel, relicto Iroboamo, sermonem conuertit Altaris ad lapidem, & in ipsum tota laterum contentione clamauit,nisi quià faciliùs putauit esse Altaris saxa diruere, quàm sciliceum hominis animum flectere, citiusquè victimas ab Aris credidit discessuras,quàm flectendam impij hominis mentem. Et quidem lapis ille va-


rias

rias diffractus est in scissuras hostiarumquè cineres à se longiùs effudit, vt faciliùs existimari debeat lapidem conteri, quàm scelestum. Nonnè etiam Moyses antequam Populum, qui turbas ob sitim concitauerat, acri sermone perstringeret, ad petram loqui iubetur, quià ad aquas exhibendas futura erat facilior, quàm ad lachrymas effundendas corda illa lapidæa Iudæorum. Desudauit ideò toto vitæ curriculo Christus, vt illa fodicaret, cùm tamen nullam illi rimulam aperuissent, benè post mortem in monumento, vbi nemo positus fuerat, collocatur, vt ipsum marmor hostes argueret, se intacto sinu illum excipere, quem ipsi respuerant; Imò expirante humanæ animæ inspiratione sepulchra lapidem reuolutum excutiunt, & ora pandunt hiantia, vt Christum è viuis ereptum, in gremio excipiant, quem Isacidarum gentes adhuc viuentem excluserant. Oh ergò quàm benè, vt confundantur, eidem mortuo tota parentat natura, densis tenebris splendor solis obductus, extraordinariæ nocti subdidit diem, stabilitatem suamterra profundis concussionibus non timuit, & petrarum firmitas confracta stabilitate desiliuit. Velum Templi, quo priorum mysteria vlterius non erant obumbranda, diuisum est, atque à saxis ipsis plausum recipiens, aper-

ta sunt monumenta, & quia consortes ipsum nolle prænouerant, mortuos quos acceperant, eiecerunt. In vos, inquam, perfida Iudæorum natio Cœlum, & Terra sententiã protulerunt, vobis sol virtutẽ suam, diemquè subtraxit, vobis famulatum suum elementorum ordines denegarunt, & recedente à legibus suis ministerio creaturæ, vestra obstinatio lapidea, vestra est significata confusio. Non sic nobis, sed auferat cor Deus lapideum, atquè carneum donet, & vt Resurrectionis eius mereamur esse consortes passioni, & patientiæ ipsius per omnia congruamus. Dicebam.



IN FESTO
EPIPHANIAE
MDCLI.




RIENTALIVM Regum itinera duce ſydere ad Saluatoris mapalia properantium ſequuturo mihi, neſcio quid potiùs in ipſo itineris exordio dicendum occurrat, B.P. Vereor, ne ſtellam admiratus, mirabili quidem ſplẽdore coruſcantem, ſed abſconditã ſub improuiſa luce diuinitatem præteriens Deum ipſum vindicem patiar pyramidato in ſydere veluti ſub infauſto comete minitantem, Angelum enim alias in crinitæ ſtellæ apparitionem cognoui, qui non vt olim ignito enſe primis parentibus Paradiſi prohibebat ingreſſum, ſed ad Virginem hortum verè concluſum, ad Chriſtum peremnis vitæ arborem ſub ſtellæ flammantis imagine homines vniuerſos reuocabat. Hunc hodiè cum Auguſtino ſpiritum ſub nouo ſydere deliteſcere arbitror, qui vt poſteà ſuper Apoſtolorum capita linguarum ſe igne diffudit, ità modò ſub facundo cœli ſydere, veluti lingua,

mun-

Digitized by Google

mundi Reparatoris exortum Dynaſtis Sabbæis enunciat, ſat quippè notum eſt, tanto amoris incendio Diuinum Spiritum deflagrare, vt non modò vicario Angelorum præſidio nos dirigat aberrantes, ſed ipſe quoquè per deuia peregrinãtibus ſuæ gratiæ auxilio ducatum præbeat, inſpiret, cum Cypriano loquor, vt aſpiremus ad cœlum, ſuſpirare nos faciat, vt tandem in pacata gloriæ regione reſpiremus. Et ad quid quæſo Angelus miſſus eſt ad Paſtores, quomodò hodiè ſtella naſcitur in Oriente, niſi quià tenebricoſis in mentibus gratia quoquè Diuina Solem Iuſtitiæ præcurrit? Licèt enim accedunt illi de proximo, hi veniant de longinquo, vtrique tamèn ad vnũ, eumdemquè fidei locum pia deuotione cõueniunt, ibiquè Regem Chriſtum appoſitum antè duo prophetica illa Iumẽta, duorum nempè typum, figuramquè geſtantia, intuentur, admirantur, agnoſcunt; agnouit ſiquidèm Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui; agnouit ille iugo legis excuſſo, agnouit iſte ſtultitiæ feritate depoſita; ille deſerens ſuperfluum ſuperſtitionis laborem, hic relinquens vanum Gentilitatis errorem, vterque tamèn agnouit, quià vterque eadem gratia ducente ad vnum præſepe Domini epulaturus acceſſit. Et eccè cur poſt adorationem, & accepta

Argum.

Magorum munera, nè ab Infanticida tollatur, iubetur pater, vt tollat, Aegypto, inquam, Saluator ipse defertur, vt gens antiquis erroribus dedita, iàm vicina ad salutem per occultam gratiam signaretur, & quæ nondum eiecerat ab animo superstitionem, iàm hospitio reciperet veritatem. Bone mi Deus! Magorum aurum vix accepit, quod Herodes ad se illico ferrum trahit, vt clarum omnibus fiat inter homines, & aurum pacem tueri, quandò Christo non licuit, nulli licere. Periculum eius prope cœlites monuit, ne quibuscunque se fidant; qui enim longa olim cum agentibus vigilias miscuere colloquia, posteà nonnisi sopitis apparere cœperunt. O quàm benè nihil graue formidauit Aegyptus; Christum etenim nubem leuem ascendisse conspexit, vndè iactare ampliùs iàm erubuit, pluuiam non debere se cœlo, quandò super ipsum Diuinæ gratiæ nubes fuit diffusa, & fœcunditatem, quam dare Nilus non poterat, iàm accepit. At caueat Iudæa, caueat, & aduertat, non enim qua facilitate pellitur, eadem & reducitur Christus, illum nisi Herodem amiserit, non acquiret; Reges enim duos tellus vna non capit, vndè si regnare Herodes cum Christo non vult, Christus cum Herode non potest. Nonnè ergo superfluo Herodes timore turbatur, & fru-

& fruſtrà in ſuſpectum ſibi puerum ſæuire molitur, non cœpit Chriſtus Regia ſua; nec mundi dominus poteſtatis ſuæ ſceptri eſt contentus anguſtijs; quem in Iudæa regnare non vult, vbiquè regnat, & fœliciùs ipſe regnaret, ſi eius gratiæ vocanti ipſe ſubderetur. Cur ſincerò officio non facit, quod ſubdola falſitate promittit, pergat cum Magis, pergat, nequè Deo ſe vocanti reſiſtat, & neminem deſeri, niſi deſeratur, agnoſcat, Magorum reditum nè expectet, per aliam enim viam reuerſi ſunt in Regionem ſuam. Hos modò audio deterſa erroris caligine ſibi reditos accepto de beneficio, ſic ſibi loquentes. Ergò errauimus in cœlo cum aſtris errantibus, cœli negotia in tenebris noctium perquiſiuimus in noſtris otioſi. Cognouimus cuncta, quæ videntur in cœlis clara humanis oculis profundis eſſe obſcurata myſterijs, cum non adeò ſtellæ micent in cœlo, quemadmodum illuxiſſe Deum in carnem contemplamur in terris, ſtella iſta non ſuum peragebat curſum, ſed noſtrum, cum ſtaret manentibus, procedentibus ambularet. Cur Rex Iudæorum non fulget in purpura, ſed ſquallet in pannis, cur latet in ſpecu, non decumbit in Templo, verè cum diues eſſet, noſtra factus eſt pauper in carne, & cœpit habere ſtellam vnam, qui totam

ſtellarum numerat multitudinem. Talibus ſibi gratulatos arbitror Dynaſtas Arabicos, vt Chriſtianam Rempublicam primi Eccleſiæ filij docerent eos, qui alta contemplantur cadere, turpequè eſſe, qui ſua neſcit in terris vitia deprehendere, velle aliena in ſyderibus perſcrutari.

Dicebam.

IN

IN DOMINICA
PASSIONIS
MDCLI.





VOD olim à prophana pietate Ciuibus benemerentibus persolutum accepimus, iniustum videretur mihi, nisi humani generis Reparatori Religio Christiana rependeret, B. P. Si enim plura in Romano hoc foro vidit Antiquitas erecta, Equiti clarissimo decora, quià redimendæ ab excidio Patriæ, non tàm in vastum se deiecit telluris hyatum, quam prosiluit ad gloriam. Si alterius memoriam nulla vnquam vèl efferata barbaries posteritas obliterabit, cuius è vulneribus vltronea morte susceptis, Athenarum salus purpureis alis emersit. Nostra ergò nõnè foret æternis delenda flammis iniquitas, nisi cum illius hodiè recolatur memoria Passionis, qui nostræ salutis assertor mortales omnes è tenebris eduxit ad lucem; non excitatis arcubus, vel simulachris erectis, sed amoris præcipui testimonio Diui-

nam

nam pietatem enixè coleremus? Quòd si Amor Amorem prouocat, Diuinam charitatem nostrũ in Deum amorem extorquere in hoc congressu contendam, oblatus enim est, quià ipse voluit, & voluntario eius liuore sanati sumus. Licèt enim diuersis semper modis humano generi bonitas Diuina consuluerit, quandò maximè in Christo ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit, tunc tamèn omnem abundantiam solitæ charitatis excessit, quandò Cœna facta in hymnos erupit hilarior, & imminentis vix memor exitij, amores suos diuturniori colloquio explanauit; vsquè adeò onera nostra omnia sua ita fecerat Diuinus Amor, vt pro beneficio, quod omnes grati animi affectus excederet, ageret gratias sibi, & consuetudinem optimam mœror illi nullũ excutiens venit Alcides alter in hortum, vbi latronem expectans, seuerè vigilias præcepit, miraturquè in Sathanæ cribro positos dormitare; Athleta nobilis duram euocatus ad luctam, Andagonista doloris sui in terram victus alliditur, & vultum tegens, quo beneuolentiam excitaret, tergum, quo exciperet iram, opponens, exegit auarus dolor ab omni membro tributũ, nulli sudorem, aut lachrymas miserans condonauit. Quis modò Petrum non videt, qui

Argum.


qui conſpecto ſanguine elephantis in morem incitatur ad prælium; & educto gladio Militis auriculam ſcindit, vt reſtituta poſtmodum aure, ſuæ poſſet miles perfidiæ eſſe Teſtis Auritus? Sed in vaginam Petre conuerte iàm gladium, Chriſtus ſolo tactu reſtaurat auriculam, quam amputaſti, vt fidem, quæ fit ex auditu, Miles recuperata aure condiſcat. At hæreo hic maioris prodigij admiratione defixus, quomodo tetigit Chriſtus auriculam, qui vinculis erat irretitus, quomodo manus explicare poterat funibus implicatas? quomodo brachium extendere Gordiano plus quam nodo catenatum? O Diuinæ prænuncium Paſsionis Vatem Regium, quam benè Chriſto cecidiſſe funes in præclaris dixiſti; ſpontè manus illos in funes immiſerat noſtræ Reparator Humanitatis; quid ergò mirum, ſi ipſo volente manicæ ferreæ ſoluerentur, vt poſſet auriculam tangere, & tangendo ſanare? Vox illius irruentes in hortum Milites retrorſum agere potuit, manus ſe ſe vinculis extricare non poſſent. Verè manus eius diſtillauerunt myrrham obducendis cicatricibus aptam, cum reciſam capiti auriculam ſoló tactu ſanarunt. Dealbate, dealbate beatiſsimæ Cœleſtium Minyades in huius ſanguine Agni ſtolas veſtras, licèt

enim purpureus sit ille cruor, quem è vena fereus mucro elicuit, candidatus est tamen, quem spontè naturæ operantis amore vberibus conclusus elicitur. Bone mi Deus iam noui cur in diebus carnis tuæ cum lachrymis, & clamore valido exauditus sis pro tua reuerentia. Gaudete, gaudete mortales: pudori nostro remedium attulit Deus lachrymas suas, probrum iam nullum nobis, si in Cruce positi lugeamus, quandò in Cruce positus fuit & Deus. Gaudete miseri, qui enim cum ridente mundo non riserat Christus, modò cum lugentibus luget, & illi vnica causa gemituum, quòd omnem gemitum abolere à nostro mundo non possit; nostræ miseratur lugens deliquia naturæ, qui siccis oculis spectauerat sua, vicini Latronis petulantia commotus gemuit tot in perditis Crucis sibi fructum perire, cum nec in Cruce quidem positi resipiscant. Sed quid? ò mysteriorum mysterium, qui ad Crucem venerat ità festiuus, & volens, non potuit nisi gemens indè leuari. Et eccè cur adhuc cruentus Miles lanceam euibrauit, & in effenso Christi corpore nouum vulneri locum aperuit. Nulla erat ampliùs sanguinis, quæ gutta deflueret, & si aliquis in exsucco cadauere remanserat humor ille, præ gelu

Cor-

Corporis, & patientis nuditate glaciarat: ſed adeò ardens erat Amoris calor, qui Chriſtum impellebat ad mortem, vt congelatum in Corpore ſanguinem eliquendo, transfunderet, continuò quarè exiuit ſanguis, & aqua, vt effuſo cruore, ſiccatiſquè oculis, aperto cordis oculo noſtra ſcelera lachrymetur, atque cadenti veluti gutta noſtram duritiem infringat. Eià ergò quid agimus miſeri, amorem rependamus amori, vt tandem in Beatifico Amore cum Domino glo-
riemur.

Dicebam.



Digitized by Google

IN FESTO EPIPHANIAE MDCLII.





NON ad ferarum, hominumq. cædes spectandas, Latijq. spectacula contemplanda Italiam omnem confluere hodiè peropto, vt iam cogebant Romani, B. P. sed non dicam hominem solum, verùm etiam Cœlestium Ciuium par esset confluere multitudinem, vt pulcherrimo, iucundissimoquè spectaculo, summa cum voluptate auiditatem pascerent oculorum. Augustus siquidem ille noster, cuius potentia nullis est terminis circumscripta, Imperatoria clamyde exutus, lucis tamen æternæ radijs retentis stella media ad seipsum festinare compellat, vt in Infantia detectus, videretur spectaculum benignitatis exhibuisse mortalibus, non potestatis. Ad quid enim sic mundum Christus intrasset, vt ventris experiretur angustias, partus pateretur iniuriam, pannorum vincula sustineret, cunabula tolleret imbecilla, la-

chry-

chrymis vberum nutrimenta disquireret, ætatum gradus, atquè necessitates sentiret, nisi quia venire ità debuit, qui voluit apportare gratiam, timorem pellere, quærere charitatem? sat quippè notum est, nullam esse barbariem, quam Infantia non vincat, nullam, quam non mitiget feritatem, nullum, quem non compescat furorem, id probant omnes, viscera humana testantur; sic ergo nasci voluit, qui voluit amari, & non timeri, atquè vt cicatricem vulnera nostra obducerent, quia ligata non fuerāt, nequè oleo fota, fascias, & oleum secum affert, vt proindè caruerit Oraculum omne responsis, ipsis etenim simulachris vocem omnem incluserat tantæ admiratio benignitatis. Et eccè cur illa natio, quæ Solis Orientis perusta radijs, verum tamen Solis lumen aspexerat vnquam, illa, quæ molibus in altum extructis Cœlum petere somniauit, illa, quæ Diuinos honores verò Numini abdicatos bestijs humanis calculo communi decreuerat, quam non semel per suos exercitus præpotens rector conciderat, cuius communione addictum sibi populum interdixerat, hodiè benignitate singulari, non tam noui syderis, quàm veri luminis aspicit lumen, & ad interius, ac familiarius admissa colloquium, Regem suum præsens veneratur, & procidens adorat. Et Argum.

procidentes adorauerunt eum; Pupuli siquidem nati radiãte sydere apparuit ei humanitas, vt prænunciatum Oraculis antiquis Christum discerent corda Gentilium, cum Iudæorum Infidelitas veritatem ore proferret, & mendacium corde teneret, noluerunt enim agnoscere oculis, quem de sacris indicauerant libris, vt quem non adorabãt in Infantuli benignitate humilẽ, posteà crucifigerent in virtutum sublimitate fulgentem. O verè obstinata Isacidum perfidia, quorum dum mentes allicit Pueri vix nati benignitas, ità miserabiliùs oculis sunt orbati, vt ducem videre non possint, vel ipsa stella monstrante. Ignea olim Columna per palpabiles Aegypti tenebras eduxit incolumes, in meridiana luce stellæ Deum ostendentis ducatum non insequuntur. Potuit portentum hoc charitatis ab Oriente Reges excire barbaros, Iudæos gentem electam edocere non potuit? Nouerant fortasse sapientissimi Reges in fictæ sapientiæ natali die Rhodum Insulam auro fuisse pluuio consperſam, cumque stellam auream cernerent in terras aurea luce depluere, non è Iouis capite, sed è Virginis vtero veram prodijsse Sapientiam coniecerunt, hinc præter alia munera aurum adoraturi largiuntur, vt nouo prodigio, non Cœlum solummodò, sed ipsam quoque


ter-

terram auro prætenderent exundare.
O quàm benè Psaltes ille Diuinus euentum huiusmodi præsignauit, dum Deum descensurum nos monuit sicut pluuiam in Vellus, & sicut stillicidia stillantia supèr terram. Heù Pharisaicæ animantes caulæ, tot in vos beneficiorum cataclismi defluxerunt, quid profecistis? Cibum olim leuissimũ stomachus vester delicatè fastidit, carnibus in morem pulueris ab Alto demissis benè saginati, Cæpas, & allia reuocando gustui quæritastis. Deum natum stella noua, Cœli quasi digitus indicat, vos ab itinere deflectitis, aberratis? Verè ergò super Vellus pluuia descendit, quià super pecudes cadit. Fœlicissimi Reges, qui aquam insignis adeò beneficij libentissimè combiberunt, vt etiam nimio ardentis Cœli calore torrefacta tellus Orientis, hiantibus vbiquè chasmatibus multiplici velut ore pluuiam conclamans, vbi solutis nubibus imbres ceciderint, auidissimè absorbet. Pergite ergò, Incliti Reges, pergite, vos eodem præeunte sydere sub Bethleemitico Cœlo, puriori veluti sub aere respirabitis, ibiquè pretiosa munera, quæ defertis, Infantulo Deo dilargiri poteritis, ipsumquẽ Pignus vestro auro pretiosius Virginis in gremio reperietis. Dicebam.

IN

IN DOMINICA PASSIONIS

MDCLII.





VSTREMVS nobiſcum animo res omnes, vaſtiſsimo hoc ambitu comprehenſas: Collibremus mentis lance eductas creaturas omnes, aliqua ſingulas labe violari, ſordere pulchritudinem ipſam, munditiem immundam ſibi videri reperiemus, B. P. Arcuauit in girum ſummus rerum opifex cœlum, micantiſſimamquè ſupremi Corporis faciem ſyderibus inoculauit; ſed nubibus obducuntur quandoquè ſydera ſurſum, mortale cœlum videtur, quià oculos claudit. Tellurem floribus picturauit amœna herbarum viriditate fulgentem: ſed vitia ſua tellus ipſa teſtatur dũ ſol overe ridet ſardonico riſu, vel potiùs in lachrymas ſoluitur vitibus præmatura calamitate lugentibus. Aquam verticibus conceſsit argenteis ebullire, ſed nonnè Cinoſis inquinatur aliquandò Vitrea vnda rudentibus? Aerem in media mundi parte ſubtiliſsimè expandit, ſed aere nihil ipſo miſeriùs, qui eò purior

rior euadit, quò propiùs accedit ad nihilum. Ignem Lunæ circulum flammantibus ferire ſpiculis iuſsit, ſed Ignis vel eò ſaltem nomine infœlix, quòd adamantino Cœlorum carcere clauditur, nec cibo veſcitur, niſi rapiatur. Quid de homine, qui vix euaſit cum corruit, & de Angelis, in quibus reperit prauitatem. Solus caret labe conditor orbis, vt meritò hodiè audire poſſimus: Quis ex vobis arguet me de peccato? Et quomodo non impollutus Orbis ille Saluator, qui hoſtia Deo Patri pro nobis erat litandus, nunquàm certè ex Meſopotamia rediens infenſum fratrem ex duabus primis turmis mitem, ſibi reddidiſſet Iacob, niſi in tertia Ioſeph filium ſuo aſpectu pulcherrimum, Rachelemquè ſponſam forma decoram locaſſet. Quid Agnus ſinè macula in Azimis comedendus obumbrat? quid puritas adolendi thuris, cæterorumquè ſacrificiorum neceſſaria munditıes preſignabat, niſi quia talis decebat, vt nobis eſſet Pontifex ſanctus, & impollutus, vt maculas tergeret, & Deos faceret homines factus homo. Humi non ſerpit illa vitis, quæ ſtabili maritata trunco, illum quodam fouet amplexu, quibuſdam veluti brachijs illigat, lacertis obambit, ſertiſq; coronat vuarum. Hæſitare nequit Diſcipulus in ducendis litterarum apicibus, cuius manus à modera-


Argum.

tore

tore dirigitur, cuius calamo ſedulus inſpector inſiſtit. Quomodo ergò cadere poterat Chriſtus, qui à Diuino ſemper ſuppoſito erigebatur; Quas vmbras pati chriſtallina anima Chriſti, quæ benefici ſemper luminis radios excipiebat? Abſtergant modò lachrymas filiæ Ieruſalem, talem enim planctum Chriſtus dedignatur impendi, & quià non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam, & potiùs quià Crucem patitur volens, & mortem in ſe innocens, quam perempturus erat, admiſit. Licèt enim per Principes Iudæorum, legiſque Doctores, nec conſcientiæ impietate compunctos, nec effectu ſceleris mitigatos, Præſide proponente latronum facile primo, fuerit ipſe poſthabitus. Et quis vnquam aptare legibus popularem veſaniam ſperare poterat, niſi veſanus; ſuetus ergò attendere, quæ placerent alijs Pilatus, non quæ decerent, facilitate crudeli perdidit ſemetipſum, & Deum, in eo venia non dignus, quòd duobus ſeruire Dominis ipſe non valens, impium reueritus, innocentem contempſit. Ad quid ergò Cæſaris ſe iactat amicum, qui metu ſuo nequiorem illum putauit, quàm vt placere illi valeat, iuſta decernens. At qui ſenſerat de Deo ipſo nil melius, qui ad datam ab eo legem dimitteret, ac ſi poſſet per illam licere innocen-
tis

tis oppressio. Impius linguam obstergat, non manus, contractam labem aqua non eluit, quam nec æternus ignis purgabit. Forsan se coactum excusat? memorem mẽdacem esse oportet, iactauit se posse dimittere quem innocentem contempserat; Volens igitur perdidit, non inuitus. At si reperit innocentem, cur medius inter latrones iubetur Christi affigi? proh quàm adhærent homines malis suis, qui venit illa_ minuere, tollens scelera mundi, fur ideò creditur, & inter latrones cruciatur. Orta secum talis est de seipso suspicio: hinc omnia Christum de repetundis accusant, quia vbicunque fuit, rapuit omnia; qua hora_ dormirent homines, quasi per insidias eo egressus ex vtero, ex quo eumdem mundus non expectaret latuit secùs viam in specu. Curationem corporum ad cordium rapinas abusus, tandem nec sua quidem cadauera morti reliquit, sed quid? furta luens in_ Cruce, noctem induxit nouis latrocinijs opportunam, vt adhuc etiam ipsos furaretur latrones. Ergò innocens Christus, qui furando nascitur, & furando expirat? Ita_ sanè: quià nihil aliud, quàm attributum nobis infœlicitatis furatus, meritò quis ex vobis arguet me de peccato, poterit pronunciare. Dicebam.

LAVS DEO.



tis oppresso. Impius linguam obtergat, non manus; contrectat labem aqua non eluit, quam nec aeternus ignis purgabit. Fortasse contactum excusat? memorem mandare mysteria oportet; lex fatuit se posse dimittere eum innocentem contemplerat; Volens aequi perdidit, non iratus. At si reperit innocentem, cur melius inter latrones decet Christi affigi? prout quam adhaerent homines malis suis, qui venit illuminare, tollens scelera mundi, sic ideo creditur, & inter latrones cruciatur. Orta scaturitas est de ipso suspicio: hinc omnia Christum de repetundis accusant, quia velox qui fuit, rapuit omnia; qua horado mirant homines, qui sit per insidias co egressus nascero, ex quo eumdem mundus non expectaret latuit secus viam in specu. Curationem corporum ad cordium rapinas adiuuis, tandem nec sua quidem cadauera morti reliquit, sed quid? furta luens in Cruce, noctem induxit nouis latrociniis opportunam, vt adhuc etiam ipsos furaretur latrones. Ergo innocens Christus, qui furando nascitur, & furando expirat? Itanè: quia nihil aliud, quam attributum nobis iniquitatis furatus, merito quis ex vobis arguet me de peccato, poterit pronunciare. Dixi.

LAVS DEO.

